
GAVINI SAMBIGVCII SARDI SASSARENSIS IN HERMATHENAM BOCCHIAM INTERPRETATIO

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. SALVATOREM SALAPVSSIVM ARCHIEPIS. Sassarensem, Sacri Tridentini Concilij Decanum., & Cæsareæ Maiestatis à Consilijs.

In qua pertractantur, & referuntur ea quæ sequenti pagina continentur.



BONONIAE APVD ANTONIVM MANVTIVM ALDI FILIVM M. D. L. VI.

QVAE HOC OPVSCVLO CONTINENTVR

INDEX.

In Hermathenam Bocchiam de labore, ac scientiarũ studio Præfatio ad Academiæ studiosos.

De felicitate, ac Poetæ circa præsens Symbolum intentione.

De Deo, atque diuino primo omniũ intellectu, deque cæteris Intelligentiis, atque anima hominis.

Quid sit summum bonum, & quo nam pacto rebus omnibus infundatur.

Quid sit Amor, & quot sint Amoris species, & de qua Poeta noster intelligendus sit.

De Amore diuino, deq; omnibus illius speciebus, nec non quot & quales harũ sint effectus.

Quæ sint uere diuini huius, & sanctissimi amoris causæ secundum proprium Symboli intellectum & sententiam.

Quo nam pacto diuinus, ac spiritualis amor ab anima nostra possideatur, intellectusq; illi uniatur copuleturq;.

Quomodo humanus intellectus, diuino coniunctus ac copulatus amori, omnibus uiciis atq; peccatis exuatur, & quomodo nos Deo Opt.

Max. coniuncti perfectissimi efficiamur.

De figura, ac eius uera declaratione, tum allegoriæ interpretatione.

Particularis Symboli declaratio.

AD LECTOREM

DAVID PEIFERVS LIPSICVS.

Τοῦ θείου πλήθει πάντως ὅδε βίβλος ἔρωτος,
  αἰσχρὰ φυγεῖν, πράττειν ἐσθλὰ κελευτιάων.
Οὐκοῦν οὔτις ἀνὴρ δύναται τόδε βιβλίον ἔχθειν,
  Εἰ μὴ λυσσώδης ἢ κακοεργὸς ἐών.

IDEM.

Nil nisi diuinum liber hic cum spiret amorem,
  Nemo pius, qui non hunc probet, esse potest:
Ergo quid est mirũ, tua cũ scelera impia damnet,
  Zoile, quod soli displicet ille tibi.

ILLVSTRIS. AC REVERENDIS. DOMINO, SALVATORI SALAPVSSIO, ARCHIEPISC. SASSARENSI, SACRI Tridentini Concilij Decano, & Cæsareæ Maiestatis à Consiliis, Domino & Mecœnati suo,

GAVINVS SAMBIGVCIVS SARDVS SASSARENSIS, S. P. D.



OLENT plerique, Reuerendissime Antistes, qui Philosophiæ studiis operam nauant, quãtum ingenij fert acumen, rerum causas, & Naturæ arcana assiduis laboribus, per grauissimas quæstiones inquirere: ut posteaquam earum ueritatem indagauerint, humanus perficiatur inde intellectus: ipsique Dei similes reddantur. Atque inde fieri uidemus, quod plerique hoc Philosophandi desiderio ducti, mentem omnem, omnesque spiritus ad rerum contemplationem altius tollunt; nec ulli, cuiuscunque sit generis, labori, & studio tam corporis quàm animæ parcentes, assiduo tũ publicis tum priuatis studiis magna cura, & ani-

mi contentione exercentur: ita ut ea, quam inde postea recipiunt, uoluptas, unicum tantorum laborum præmium esse uideatur. Quod equidem cum mecum considerarem ipse, longe hoc reliquis omnibus Philosophandi studium præstare, tantumque homine dignum, & solum humanæ uitæ necessarium esse cognoui. Verum cum hæc Philosophādi ratio in ipsis scholis hodie ferè corrupta sit, cum in illis non secundum ueritatem, sed potius secundum proprias Philosophorum sectas, propriasq; opiniones disputetur existimaui eas Academias solummodo, quæ aut publicé aut priuatim erigi solent, ueram Philosophandi retinere normam: cum in illis non nisi de nuda ueritate, sepositis uariarum Sectarum opinionibus, agatur: & tám bonarum artium, quam uariarum linguarum uerus retineatur usus. Ob hanc itaq; causam Bocchium sæpissime laudaui: qui per hanc uiam maiorum secutus uéstigia, ueterem & genuinum Philosophandi modum restituere conatus est. Siquidem Academiam, in cōmunem Studiosorum utilitatem, maximis laboribus, propriisq; instituit sumptibus: quæ etsi imperfecta huc usque ideo manet, quod nemo opibus eum iuuerit: nihilominus tamen multi, quibus hoc Philosophandi genus maxime placet, ui

ri ſane ſpectatæ doctrinæ, atque ſcientiæ, generoſiſſimis laboribus inter ſe coire, & primi aperire hanc Academiam cœperunt: quibus cum & ego annumerarer, mihique ab ipſo autore huius lectionis onus impoſitum eſſet, ſimulque á quibuſdam amicis meis rogarer, & ad ſuſcipiendum munus hoc admonerer, quibus contradicere ne fas erat, adieci animum ad eos labores, quos & ætas & ſtudia mea ferebant, ut exiguos hoſce ingenij mei fructus ederem. Cumq; ab eiſdem poſtea amicis & ab ipſo ſymboli huius autore rogarer, ut hos illis & cæteris communicarem: putaui ab amicicia alienum prorſus futurum, ſi illis morem in hac parte non gererem. Verum cum quales eſſent me non lateret: non uolui ſine defenſore eos prodire in lucem: cum multi ſint qui, dum alios reprehendunt, eruditi & ſapientes haberi uolunt: idcirco ſub tui nominis patrocinio eos tutiſſimos fore putaui. Accipies igitur, Reuerendiſſime Antiſtes, hos noſtros paruos primoſque labores: non eos quidem tales, quales tuorum meritorum dignitas & magnitudo requirit: ſed quales ingenioli mei uires, noſtraq; erga te obſeruantia hoc tempore producere potuerunt: nam ſi tuorum beneficiorum cumulum reſpiciam, compertum habeo tuo non eſſe illos di

gnos nomine: non enim ingentes animi tui dotes me latent: & noui ego quā præclaræ tuæ semper actiones fuerint; tam in Romana Curia, quā ubique locorum. a' primis enim iuuentutis tuæ annis summo tum Imperatoris tum Pontificis consensu, ob eximiam uirtutis tuæ expectationē, in Archiepiscopum fuisti electus. Omitto hic ea, quæ postea semper sanctissime in huius officij administratione gesseris. Omitto ea, quæ per octo continuos annos in Tridentino Concilio pro Christiana Republica feceris. Omitto quod Cæsaris Consiliarius sis creatus. Omitto denique infinitas prope alias generosissimas actiones tuas: quæ celeberrimum te apud omnes fecerunt. Sed si affectionem obseruātiamque erga te nostram, simulque me ipsum tibi quamplurimis beneficiis obligatum, respexeris: nihil est cur hi mei labores tibi displiceant: idque multis de causis: primum ideo, quod te iam meum erga te amorem semper cognouisse scio: deinde quia sæpissime fructus ab hominibus, quos obstrictos quis habet, prouenientes magis placere solent, quam alieni: quamuis illi paulo sint deteriores. Deinde quod si multi ex nostra ciuitate & ex multis aliis Sardiniæ partibus, tenentur tibi suorum fructuum portiones reddere: cur & ego tibi qui plu

rimum

rimum debeo, non meorum laborum partem reddam? & tanto magis tibi debeo: quanto ego & pater meus, fratresque mei omnes, omnis denique familia nostra, maioribus affecti sumus a te beneficiis: quodque maiorem nostri semper curam habuisti. Denique quod si omnes id amãt, cuius ipsi præcipuæ sunt causæ: tanquam propriũ suum partum: quid ni & tu hoscæ amabis? cum uideas primos esse fructus studiorum meorum: ad quæ mihi tu hortator & auctor fuisti: & ad quæ amplectenda me accendisti semper. Accipias igitur illos nunc, Antistes optime, amesque rogo: quos si tibi charos esse intellexero, animum uiresque ad maiora deinceps præstabis nõ mihi solum: uerum multis quoque aliis ex nostra Patria: qui iam bonarum artium & literarum disciplinis antiquam barbariem expellere conantur: & non minus Iurisprudentiæ, quàm Philosophiæ & Poeseos studiis, egregiam nauant operam. Inter quos etiam, si immatura morte nobis erepti non fuissent, florere iam cerneremus Angelũ Simonem Figo spectatæ bonitatis & scientiæ Doctorem, & Gauinum Sugnerium magnæ expectationis iuuenẽ: quorum mors quanto cum mœrore & tristicia ad nostras aures peruenerit, uix uerbis a me explicari potest. Vale igitur Reuerendissime

Antistes, dulce Studiorum præsidium, & me, ut semper fecisti, ama.

IN HERMATHENAM BOCHIAM DE LABORE AC SCIENTIARVM STVDIO PRAEFATIO AD ACADEMIE STVDIOSOS.



VLTIS iam ſeculis celebrata eſt diuini Platonis ſentẽtia Princeps ampliſſime uoſq; cæteri uiri Academici ornatiſſimi: mortalium animas a ſummo rerum opifice creatas, ex archetypo illo Mundo in hũc noſtrum, quem Græci μικροκοσμον appellant, rerum omnium ſapientiſſimas deſcendere: quæ corporum ruditati ac mortalitatis ignauiæ parentes, rerum omnium oblitæ, tandem reminiſcendo primos ſibi comparare habitus aſſerebant. Cuius equidem ſententiæ quæſtio, cum ſatis ſuperque diu eſſet inter philoſophos agitata, multæque inde multorum ortæ opiniones: tandem longa experientia ac ipſa ueritate edocti, in hanc ſententiam omnes deſcenderunt: ut optimarum rerum cognitionem atque ſcientiam nõ niſi ſummo ſtudio, labore indefeſſo, & aſſidua diligentia acquiri ac perfici poſſe dicerent & ſtatuerent: in his etenim maxima humanæ uitæ perfectio: in his

diuina optime uiuendi ratio continetur: qua qui insignes fuerunt olim Dij sunt dicti, & amplissimis ornati honoribus: tum quod præcipue sapientia profunda essent admirabiles, tum quod magna frugiferaque beneficia in homines conferrent: hinc quocunque animum conuerterimus, permultos omnibus seculis excellentes ac penè diuinos extitisse uiros uidebimus. Hinc ut diuersorum hominum erant diuersa studia, & mentiũ impetus uarij, atque uariæ erant res quarum cognitione delectabantur & capiebantur hominũ animi, ita uaria quoque ab illis disciplinarum genera, partim studio cognoscendi, partim necessitate, sola industria & diligentia fuerunt exculta & perpolita. Hæc si quidem omnia ad hominis munus propriè pertinent: quo si illum priuemus, longè is reliquis animãtibus omnibus infelicior remaneat oportet, contra uero si rationi ac mentis Lumini, quo diuinitus ornatus est homo, ne mens languida ac prope intermortua in illo uideatur, studium atque diligentiam addamus: quid quæso homine ipso erit perfectius? Execrãdi profectò & hominis nomine prorsus indigni sunt illi, qui nihilo brutis animantibus præstantiores humi iacent, Mentemque quam cælitus acceperunt adeo turpi desidia obruunt & perdunt:

ut se aliquando altius tollere non possint. Atqui generosi & sapientis est hominis, ut mentis oculos in barbaricum cœnum defessos sensim attollat & abstergat, ut acutius uideant: eosque ad rerum admirabilium præstantem cōtemplationem erigat, ut tanto magis ante prospiciat, quantum unus inter cætera animantia excellit & eminet. Quæ omnia, uiri Academici, cum mecum ipse cogitans uerissima esse cognouissem: existimaui clarissimorum uirorum conatus semper plurimi esse faciendos: atque ista ductus persuasione semper sum diuinum Bocchium admiratus, qui sibi non satis esse duxit, ut præclarissimis in omni disciplinarum genere scriptis, quibus immortalitatem sibi iamdudum peperit, acquiesceret & contentus hac laude esset: uerum etiam tantis, tam animi quàm corporis laboribus Academiā, quā inchoatam cernitis, nō sine magnis grauissimisq; sumptibus, mirifico quodam ordine & artificio, in solam studiosorum gratiam & utilitatem erigere & instituere proposuit: in qua & si integrum iam decennium sine intermissione laborauerit: nondum tamen propter fortunas & tenuiores opes tam magnificum & splendidum opus perficere potuit. Accessit huc quoque illud incommodum: quod plerique huius rei auctores, pro

ut ipse testis est auctor, immatura morte præuēti, rebus humanis erepti fuerint. Inter quos primus fuit sanctissimæ recordationis Paulus III. Pontifex Maximus: qui ut & alias eximie ingenia coluit, ita huius auctoris pientissimis conatibus se minime defuturum esse sanctissime receperat. Quamuis autem post mortem Pauli, Alexander Farnesius Cardinalis amplissimus & idem Academiæ Bocchianæ patronus ac Mecænas præcipuus, superstes māserit; tamen tot & tāta ubique in Italia exarsere bella, ut hactenus spes omnis absoluendi operis istius uideatur extincta & deleta: atque his difficultatibus quamuis præstātissimus noster Bocchius undique esset afflictus & impeditus, non tamen ab hoc tam honesto tamque salutari uniuersæ Christianæ & literariæ Reipublicæ consilio atque incepto desistere uoluit, quo minus institutū opus perficere conaretur. Qua de re gratulandū nobis est huic Bononiensi Reipublicæ florentissimæ, & diuina Maiestas, quæ nobis tantum fauoris exibet, omni, ut par est, laudum genere extollēda, simulque immortales gratiæ agendæ, quod hunc uirum nobis saluum incolumemque ad hunc usque diem esse uoluerit, cuius opera præstantissima hæc surgeret Academia: quæ cum hucusque ociosa fere obdormierit:

nunc tandem exigua quæpiam diuini luminis emicans ſcintillula ueſtros, uiri academici, nobiliſſimos & generoſos animos, ductu & auſpiciis præſtantiſſimi Cæſaris Odonis Rei medicæ, Philoſophiæ, omniumque bonarum artium profeſſoris, uiri nunquam ſatis laudati, ad ſanctiſſimũ Philologiæ ſtudium & amorem excitauit: qui nihil ſanè renitentes diuinum hoc atque fatale lumen, quo afflati & accenſi eſtis, ſequi & amplecti non perſtitiſtis. De hac autem ſanctiſſima Philologia, cum mihi onus imponeretur, & hac omninm feliciſſima die uerba facerem: in hunc ſtudioſorum iuuenum nobiliſſimum cœtum prodij, ut de illa dicerem, & grauiſſimum pro uiribus ingenij mei negocium expedirem. Auſpicaturus igitur, quod felix fauſtumque ſit, ſacroſanctum Philologiæ ſtudium, cuius pulchritudo atque dignitas tanta eſt, ut ſi quidem occulis cerni poſſet, admirabilem in animis omnium, ut diuinus Plato ait, amorem excitatura foret, uos in primis, uiri Academici, qui in hoc nobiliſſimo conſenſu adeſtis oro atque obſecro: ne me putetis meapte temeritate, aut πολυπραγμοσύνῃ quadam in hunc locum aſcendiſſe: imo uero ex innata quadam reuerentia, & officij mei ratione erga auctorem, ac principem, Cæſaremque ipſum Odonẽ,

quem summopere ob eximias eius animi dotes obseruo, cæterosque qui mihi has dicendi partes dederunt obseruantiaque adductum. Et si in dicendo non mediocriter perturbor: nam quis est omniũ in dicendo tam elegans & exercitatus, tãque disertus, qui in hoc doctissimorum hominũ conspectu nihil plane comoueatur aut pertimescat? accedit huc quoque amplissima huius Philologiæ auctoritas: cuius fama ferè totum terrarũ orbem peruagatur: ita ut tanto oneri uires meas impares esse cognoscam. Desisterem autem profecto libentissime ab hoc incepto, nisi hinc uestra, uiri ornatissimi, humanitas & beniuolentia mihi animum adderet: illinc uero laboris amor atque optatissimi honoris præmium me impelleret & instigaret: operæ enim precium me facturum spero, si mea qualicunque opera & communem studiosorum utilitatem promouero, & honestissimæ uoluntati eorum, qui mihi dicendi hoc onus iniunxerunt, obsecutus fuero. Nostrũ nunc est ut una sanctissimæ Philologiæ studium atque laborem intrepide, diligenti attentione ac sedulitate agrediamur: hæc enim duo studium uidelicet & laborem, ueluti mentis nostræ lumina ducesque amplecti nos decet: Cum præter ipsa nulla sint alia media quæ rebus perfectionem suã

tribuant


tribuant. Solus enim labor unicum Mundi uinculum non immerito appellatur: in illo quippe nihil reperire licet, quod absque labore functionẽ suam expleat. Quin imo omnis totius Mũdi perfectio a labore pendet: qui si tollatur e medio cũcta cum ipso tolli necesse erit: quiescent & cessabunt Cœlorum motus: orbium reuolutiones cõsistent: Elementorum denique motus & rerum omnium generationes ac corruptiones auferentur: hæc enim omnia nihil aliud esse uidentur, quam labores quidam assidui in toto uniuerso: sic Terra in tot & tam uariarum Plantarum productione laborat: sic mare in continua fluctuatione & motu laborat: sic aer, sic ignis, sic omnia tandem quæ in toto reperiuntur Mundo laborant: usque adeo ut nihil esse prorsus absq; labore nos confiteri oporteat. Eodem ergo modo, cum omnia labore suam expleant functionem, si quis homini laborem auferat, & ipsius hominis perfectionem tolli necesse erit. Extant autem infinita antiquorum sapientum uolumina, ex quibus præcepta tam animæ, quàm corpori nostri saluberrima petere licet. Porro cum nemo sit qui non animam corpore præstantiorem esse asserat, dicendum profecto erit diuinũ Animi nostri laborem esse omnium præstantissimum: qui totus quidem

circa ſcientias, atque huius ſanctiſſimæ de qua loquimur, Philologiæ ſtudium uerſatur: qua mediante ad diuinæ ſapientiæ cognitionem accedimus, quæ uerus omnium finis eſt, ſolaque humanæ mentis perfectio: quippe labor & exercitatio ingenium, ſenſus, omnes denique animi facultates exacuit & abſoluit: ipſamque mentem ueritatis, quam ſolam amplecti homines debent, capacem reddit: appetitum inhoneſtas cupiditates, & ſenſuum illecebras uanaſque uoluptates refrenat: noſque ab omnibus liberat uiciis: mala omnia, quibus humana uita exacerbatur & deterior redditur, propulsat atque fugat: præterea cum cõſtet laboris uirtutes & laudes innumerabiles exiſtere: e diuerſo quoque ocij uituperia & uicia innumerabilia eſſe oportet. Quid? An non ab ocio tota hominis imperfectio prouenit? nonne per ocium corpora putreſcunt? ingenia hebetantur? Videmus profecto Terram abſque labore nihil præter agreſtes Carduos, horridaſque ſentes producere: Videmus aerem abſque labore ocioſum corrumpi: aquam ſine motu ſtagnantem & pigrã putreſcere: per ocium ſane omnes uirtutes labefactantur: uitia & ſenſuum immundæ uoluptates augentur: Ab ocio proficiſcuntur omnes in nobis prauæ cogitationes. Sed quorſum pertinet

me tot malorum myriades persequi, totque uitiorum genera explicare? quæ in orbe terrarum uniuerso occasione ocij extitisse & cõtigisse narrant Historiæ: ut igitur breuiter rem expediamus: ueluti nihil est quod non per ocium corrumpatur ac pereat: ita nihil est usquam rerum, quod non labore perficiatur: τὸ συνεχὲς γὰρ ἔργων παντων εὑρίσκει τέλος. Nihil homini Deus absque labore indulget: unde labor unica uirtutis uia esse dicitur: unde uirtutem sudore parandam recte sapientissimus uates dixit: unde interrogatus Hermioneus à quo nam scientias didicisset: A labore inquit: & merito, cum nihil boni, nihil perfecti in nobis absq; labore esse possit. Veteres quoque ac primi illi Philosophi rerum cognitionem labore, studendo scilicet scribendo, docendo, & disputando sibi posterisque compararunt: quod clarissime nobis tot ab illis scripta uolumina ostendunt. Nam si nobis tot artes, tot scientiæ uoluptatem & utilitatem adferũt: Si nobis maiorum præcepta & doctrinæ placent: si nos pientissimi Socratis, si diuini Platonis, si subtilissimi Aristotelis, si clarissimi Theophrasti, si denique tot reliquorum sapientũ dictis & præceptis erudimur & excolimur: multumque illorum scriptis, delectamur: si antiquorum Aeygptiorum: si Indorũ Gymnosophi

ſtarum, ſi ſapientum Chaldæorum, ſi Cabaliſtarũ Hebræorum ſacras admiramur doctrinas: ſi denique tot Græcorum, tot Arabum, tot Latinorũ uariis adiuuamur doctrinis, artibus atque ſcientiis: ſi item ſanctiſſimæ leges Mundi gubernatrices humanam conſeruant & tuentur ſocietatem: ſciamus tandem oportet tot & tanta diuina munera nobis per labores maiorum noſtrorum qua ſi per manus relicta eſſe nihil aliud, quam ſapientum uirorũ ſtudia uigiliæ & lucubrationes: quas illi ob cõmunem utilitatem & cõmodum noſtrũ exantlarunt atque exhauſerunt. Labor igitur, labor inquam, uiri Academici, eſt qui ſolus omnia perficit. Sed quid opus eſt me plura de labore, deque ſcientiarum ſtudiis dicere? quorum laudes ſi quis enarrare uoluerit, infinitas eſſe repe-riet. Sectemur igitur, uiri Academici, diuinos animi labores: amplectamur ſtudia: utamur diligentia: cum nobis ſudandum, uigilandum & laborandum eſſe ſciamus, ut eruditi, boni & ſapientes denique efficiamur. Ocium uero, ueluti teterrimã animi peſtem, expellamus: ſolumque ſtudium, ſolumque laborem ad uirtutes atque ſcientias aſſequendas amplectamur: ad quas cõparandas, ueluti diuinum Dei lumen, ſanctiſſima hæc Philologia nobis hodie ſe ducem præſtat:

quæ propio ſuo nomine nihil aliud ſignificare ui
detur quàm ſapientiæ & Eloquentiæ ſtudium.
Quamobrem, ſtudioſiſſimi iuuenes, pergamus
ut incepimus: atque in id ſtudium, in quo uerſa
mur, incumbamus: ut & nobis honori, & ami-
cis utilitati,& patriæ emolumento eſſe poſſimus.



SYMB. CII.

SAPIENTIAM MODESTIA,
PROGRESSIO ELOQVENTIAM
FELICITATEM HAEC PERFICIT.



STEPHANO SAVLIO.
IN HERMATHENAM BOCCHIAM.

SYMB. CII.

Quis tibi sancte puer, uires animumq́; ministrat,
Maximum ut exiguo monstrum adamante regas.
Nonnè uides summi eductam de uertice patris,
Auspice facundo Pallada Atlantiade?
Hanc cole totius mentis penetralibus ardens,
Sic animo poteris quicquid & ore uoles.
Incipe age, en uirga te iam Deus euocat orco,
Me duce perficies; tu modò progredere.
Iam pater en STEPHANVS *te* SAVLIVS *ille bonorũ*
Præsidium, atque decus, macte animo esse iubet.

GAVINVS SAMBIGVCIVS SARDVS SASSARENSIS IN HERMATHENAM BOCCHIAM INTERPRAETATIO,

DE FELICITATE AC POETAE CIRCA PRESENS SYMBOLVM INTENTIONE.



MNES, qui in tradendis artibus atque ſcientiis optimè elaborarunt, eas ſemper miro quodam ordine mandare literis ac demõſtrare conati ſunt: Nam in ſolo ordine totam ac ueram inueſtigandarum rerũ cognitionem poſitam eſſe uidebant: ſiquidem Ordo nihil eſt aliud, quam iuſta in rebus quædã proportio ac ratio, quod apertiſſimè hi demonſtrarũt, qui nos ſemper ordinatè doctrinas ſcientias atque artes ducuere: quos ueluti duces ac uera intellectus lumina imitari nos quoque uolentes, pro uiribus ordinatè in præſenti huius Symboli declaratione procedemus, quàm equidem totam in quatuor principes partes diuidemus. In prima igitur parte quæ fuerit auctoris in præſenti Symbolo intentio, tanquam rem neceſſariam, declarabimus, quæ ſcilicet illa eſt quã

inter reliquas ſex, aut pro ut aliqui uolunt octo, intentiones primo loco optimi ſemper expoſitores conſiderare ſolent, & complectitur ea quæ a græcis τὰ προλεγόμενα dicta ſunt, ut qua de cauſa fuerit Poeta ad huiuſce ſanctiſſimæ philologiæ præſens Symbolum ſcribendum impulſus ſub Hermathenæ nominæ, nobis innoteſcat. In ſecunda uero parte uniuerſali quadam declaratione nonnulla diſcutiemus, ex quibus ueram præſentis Symboli declarationem percipere poterimus, ubi quædam etiam ad humanam uitam ac ſanctiſſimam Philologiam neceſſaria dicemus. In tertia deinde parte figuram diſtincte cum omnibus ſuis partibus ſecundum Poetarum fabulas, nec nõ ſecundum ueram earum allegoriam, quæ ad præſens Symbolum ſpectant uidebimus. In quarta uero & ultima parte, ad particularem uerborum declarationem perueniemus, ubi ea notabimus quæ nobis notatu digna uidebuntur: atque his ita peractis præſenti Lectioni finis imponetur.

Pro primæ igitur partis declaratione, quam intentionem auctoris eſſe diximus, retro aliquantulum recedentes rem paulo altius repetemus. Dico igitur quod omnes, qui de ſummo bono deque ſumma felicitate tractarunt, omnibus in

rebus esse quendam ultimum finem asserunt, ad quem uehementi desiderio ueluti propriam perfectionem diriguntur, in homine præcipuè tanquam omnium perfectissimo, in quo postrema beatitudo ac uera felicitas consistit. Nam si postremus hic omnium finis, cuius gratia reliquæ fiunt operationes, non esset, daretur equidem necessario ex una in aliam causam processus in infinitum, pro ut nobis clarissime Aristoteles demõstrare uidetur, quod absurdissimum esset concedere, tum sensibus tum rationibus repugnans; Cum omnia humana naturaliter finem appetãt; qui quidem appetitus esset frustraneus si finis iste nunquam attingi posset: Omnes igitur ultimũ illum finem summum esse bonum, postremamque omnium felicitatem in humana uita asserũt, uerum quis sit iste hominis ultimus finis, quæue illa ultima felicitas, uariæ fuerunt antiquorum sententiæ: tot enim ferè opiniones, quot Philosophorum sectæ, de humana felicitate extiterunt, excepto uno Zenophane Zenophanisque sectatoribus, qui nullam in homine felicitatem esse asserebant: cum iidem nullum bonum aut malum astruendum esse dicerent, quæ quidem opinio dudum ab omnibus scholis fuit irrisa atq; explosa. Alij porrò felicitatem in sola uoluptate

ac corporis delectatione posuerunt, quorũ princeps Epicurus extitit, quem postea Eudoxus atque nonnulli alij secuti sunt, quorum opinio quã praua quamque inepta fuerit per se clarissimè absque ulla demonstratione apparet. Alij autem felicitatem non alibi quam in solis diuitiis positã affirmarunt, ductique hoc errore totam mentem omnemque curam in solis diuitiis cumulandis posuerũt, in quo numero Crœsus Midas & alius quidam fuit, de quo Damasippus Stoicus scribit, quod testamento etiam cauerit ut hæredes sepulcro suo insculperent Summam bonorum, quæ in hæreditate accepissent, ut inde quam ipse felix fuisset agnosceret Posteritas. Alij deinde ambitiosiores, ut Periander Corinthius & Lycophrõ, nihil aliud esse felicitatem quam honorem honorisque gloriam dixere. Nonnulli contra in sola sanitate ac bona corporis habitudine positam affirmarunt. Alij uero sapientiores in solis scientiis felicitatem statuerunt, pro ut Herillus, diuinus Socrates, Socraticique discipuli extitere. Sanctissimus autem noster ac sapientissimus Plato, nihil aliud felicitatem quam. Ideam esse iudicauit. Alij rursus corporis pulcritudinem esse censuere, ueluti Orpheus in Narcissi fabula sub quodam uelamine demonstrare uidetur. Alij etiam

in solo corporis robore ac fortitudine positã credebant, ueluti Milo Crotoniata. Nonnulli uero tumidi superbia atque elati solam maiorum nobilitatem ac generis uetustatem felicitatem dixerunt, qui cum sua propria uirtute gloriari non possent, præclaris factis maiorum suorum superbierunt. Alij uero saniorem mentem secuti, felicitatem in sola ac mera uirtute positã iudicarunt, pro ut Zeno Cleantes atque Stoici omnes extiterunt, qui sola contenti uirtute nihil aliud præter ipsam desiderabant. Alij similiter, certis quibusdã moti rationibus, Prudentiam esse dixerunt, ut Bion atque Boristhenes fuit. Multi deinde ac rectius Sapientiam esse uoluerunt, inter quos sapientissimi Biantis opinio prima extit. Nonnulli uero ex ambabus his uirtutibus aggregatam felicitatem constituunt ex prudentia nempe & sapientia simul: atque huc Thales Milesius Thaletisque sectatores pertinent. Nonnulli similiter idẽ esse, bene agere, ac felicem esse, nullamque inibi differentiam reperiri affirmarunt, in qua sententia Pithacus Mithileneus fuit. Multi quoque uirtutis usum atque operationem felicitatem esse statuerunt, ut Aristoteles omnesque ab eo Peripatetici extiterunt; adeo quod tot fere opiniones de summo bono fuerint, quot Philosopho-

rum sectæ numerantur, quarum tamen nulla fuit quæ illius ueritatis, in qua sola orthodoxa fides consistit, ueram cognitionem haberet, quamuis antiquorum nonnulli ad hanc ueritatem prope accessisse uideri possint, & præcipue diuinus ille Plato, qui felicitatem solam Ideam esse dicebat, in qua equidem sententia & opinione sua sanctissimæ Christianæ fidei satis conformis esse uidetur: Cum prima illa omnium Idea nihil aliud sit quam ipse Deus Optimus Maximus, pro ut fusius suo loco declarabimus. Omitto reliquas opiniones, ex quibus aliæ ab hac ueritate prorsus aberrarunt, aliæ uero satis prope ad hanc accedentes, quodãmodo illam inquirere adhuc nec dum reperisse tamen uidentur, cum nempe homines prudentes in eo laborarent, ut his mediã tibus ad postremam omnium felicitatem peruenire possent, pro ut eorum est sententia qui felicitatem in solis rebus honestis, nec non in actibus atque habitibus intellectiuæ animæ posuerunt. Quæ uidelicet omnia tandem ad quinq; capita reduci possunt, ad Artem scilicet Prudentiã, Intellectum, Scientiam atque Sapientiam. Atq; Ars quidem, cum ipsa rerum earum quæ corporis operatione fieri possunt sit habitus, omnes in se Mechanicas artes continebit. Ad prudentiã

uero, quæ eſt quidam habitus earum rerum quæ ſecundum rationem aguntur, quæque tota in bonis moribus conſiſtit, reducuntur omnes reliquæ uirtutes, quæ mediante uoluntate atque uoluntatis affectibus amorem atque deſiderium includentibus, perficiuntur. Ad intellectum uero, cum ipſe ſolum ac uerum ſciendi principiũ ſit, primarum dignitatum atque axiomatum notitia & habitus in quibus iutellectiua facultas proprie uerſatur, referuntur. Ad ſcientiam uero, quæ eſt concluſionum quidam habitus atque cognitio, quæque ex principiorum atque axiomatũ cognitione dependet, & emanat, ad quã ſeptem illæ artes quas liberales appellamus pertinent. Sapientia denique ſimul utriuſque & principij & concluſionis eſt habitus, earumque rerum omnium, quæ nullam habent ut phiſici loquntur eſſentiam cognitio: atque hæc ſola naturæ limites tranſcendens, ſimpliciſſimas ſpiritualium eſſentias ac quidditates conſiderat, eſtque illa quam Græci Chriſtiani πιολογίαν appellant: quæ omnia fuſius Ariſtoteles in ſexto Ethicorum libro declarauit. Harum autem rerum cognitione abſque ipſis artibus ad ueram felicitatem atque beatitudinem accedimus, quæ ſola ueluti poſtrema hominis perfectio & abſolutio a Philoſophis antea

desiderata, nunc à Christianis, ueluti à Bonitatis atque ueritatis possessoribus, tantummodo cognoscitur suspicitur atque sanctè conseruatur. Atque ista uera non dubitata hominis felicitas à nostris Theologis in duas partes secatur: quarũ alteram Obiectiuam, Formalem alteram appellant. Obiectiua felicitas est ipse Deus Optimus Maximus, ultimus amor atque desiderium animæ nostræ, & in hac parte diuinus Plato qui Ideã statuit cum Christianis sanctissimè conuenire uidetur. Formalis uero felicitas est uita æterna, quam post mortem futuram speramus, quæ in tribus solummodo actibus, quibus etiam tres in humana uita comparantur uirtutes, Fides uidelicet Spes atque Charitas, consistit: Horũ autem actuũ primus est. Videre Deũ, in cuius uisione diuino lumine accensi & inflãmati miro quodam amoris desiderio perpetuo flagramus. Secundus est Possidere Deum, in cuius possessione ultimum illud, quod tantopere desiderauimus & amauimus, uerè acquirimus & nanciscimur. Tertius deinceps est actus Frui Deo, in cuius usu & consuetudine ultima illa & perfecta beamur felicitate, quam nobis unica & sola Dei bonitas atque gratia largita est. Hoc igitur summũ bonũ hancq; summam felicitatem, cum noster hic Bochius uere Platonicus

re Platonicus uerusque Theologus considerasset, laborauit assiduo in perquirenda uia, qua mediante hosce intellectiuæ animæ actus atque habitus exercentes ad hunc postremum felicitatis finem accederemus, quæ cum alia esse non possit quàm sanctissima illa uetus Philologia, in qua tãtopere laborasse antiquitas uisa est, sub tam diuino nomine Academiam: pro ut omnibus notũ est, propriis sumptibus erexit, in qua equidem perficienda tantopere laborauit, laboratque huc usque, ut hac mediante humanus intellectus in illis habitibus atque operationibus, quas modo diximus, exerceri atque auxilio trium illarum uirtutum Spei nempe Fidei ac Charitatis ad ultimũ tandem finem ultimamque beatitudinem peruenire possit, utque deinde illis mediantibus diuinoque Dei amore accensus, Cupiditates sensuumque uagos appetitus frenet ac gubernet.

Atque his omnibus ita rectissimè consideratis, cum hanc sanctissimam Philologiam erexisset, conatus est in præsenti hoc Symbolo paucissimis uerbis & sub figuræ cuiusdam uelamine demonstrare, quo nam pacto ad hanc diuinam beatitudinem peruenire possimus, quæ sanè cum finis atque ultima dicatur perfectio, determinato medio ac principio acquiratur oportet: quod ipse

ger Mõdeſtiam atque progreſſionem ſignificaſſe uidetur: Per Modeſtiam quam græci σωφροσύνην appellant: nempe cum ipſa uirtutum omnium ac denique ipſius Sapientiæ ſola ſit principiũ, ſolaq; aditum ad hanc aperiat; quod, ut nonnullis uidetur, apertiſſime Plato ſignificare uoluit, cum foribus Academiæ ſuæ inſcripſit.

ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω.

Qua inſcriptione declarare uoluit, neminem ad Sapientiæ ſtudium accedere debere, qui non modeſtia, quæ ſola uera animi eſt geometria, præditus eſſet. Per progreſſionem uero: cum progreſſio ſit medium perueniendi ad finem, quam ipſe per Eloquentiam intelligit, quippe cum humanæ uitæ felicitas in tribus ſolummodo conſiſtat, in optime loquendo, intelligendo, atque operando: Primum ex his acquiritur mediante Sapientia, cuius principium eſt Modeſtia, Secundum mediante Eloquentia, cuius medium eſt ipſa progreſſio. Tertium deinde ex præcedentibus his duabus uirtutibus oritur, diciturq; perfecta operatio, quæ ſola eſt hominis felicitas, & qua poſt mortem ad uerã accedimus felicitatem. Ob hæc igitur omnia Mineruam Iouis filiam atque Mercurium fratrem, ueteres Poetas imitatus, noſter Bocchius ſimul connexos depinxit, quos uno no

mine coniunctim græce ἑρμαθήνην propriiſſime uocat. Horum autem in medio diuinum depinxit Amorem, qui adamantino freno monſtrum frenat, cuius quidem rei admiratione ductus poeta, cum tam paruum puerum, qualis Amor eſt, tantum Monſtrum tam exiguo freno regere ac ducere uideat, diuinum hunc affatur Amorem, quæritque unde nam in puero tam paruo tantæ inſint uires. Cui Amor reſpondens apertiſſime monſtrat cauſas, quibus mediantibus ſimiliter & nos poſſimus monſtra domare, tandemque nobis ueram felicitatem ac beatitudinem cōparare, quemadmodum fuſius ſuo loco declarabimus: atque iſta, ut breuiter dicam, in præſenti Symbolo Poetæ noſtri intentio fuit. Reliquum eſt nunc, ut ad ſecundæ partis declarationem accedamus, in qua ueluti ſupra diximus, uniuerſalia quædam, præſenti declarationi neceſſaria, exponemus: hæc uero cū ſubtiliſſimi atque profundiſſimi intellectus ſint, non abs re erit neque extra propoſitum noſtrum, ſi paulo altius repetitum exordiū demus. In primis autem, ne rem confundere uideamur, certo ordine, ueluti incepimus, procedentes, totam hanc partem in alia ſeptem capita ſubdiuidemus.

In primo igitur capite, quia hactenus de ſum

ma felicitate deque summo bono actum est, con clusumque fuit, hoc ipsum bonum nihil aliud esse quàm Deum Optimum Maximum, quodque ipse sit prima omnium forma primusque omniũ intellectus, breuiter quid Deus, quidque intellectus sit declarabimus, cum tota intelligentiarũ latitudine ac productione ad humanum usque intellectum, quem secundum doctrinam Philosophicam in suas diuidemus etiam partes, quæ omnia si diligenter à nobis considerata fuerint, cognitu illa esse summe necessaria apparebit.

In secundo uero capite, cum primus hic intellectus summum bonum sit, ueluti diximus, declarabimus quid nam sit hoc summum bonum in illo primo intellectu constitutum & quomodo illud singulis rebus participetur ac infundatur.

In tertio deinceps capite postquam à nobis ostensum fuerit, hoc summum bonum nihil esse aliud quàm Amorem, breuiter quoque quid & quotuplex ille, de quo loquimur, Amor sit, declarandum erit, ut inde appareat, de qua parte Amoris Poeta noster intelligendus sit.

Quarto loco, cum declarauerimus Poetã nostrum ad diuinum respexisse Amorem in præsenti Symbolo suo, quædam etiam circa hoc amoris genus annotabimus demõstrabimusque quot

& qui ſint ipſius effectus. Cumque diuinum hũc Amorem effectus producere dicamus, neceſſe eſt, ut ſuas habeat cauſas ad quas relatiue referatur, ideoque.

In quinto capite ueras Amoris iſtius cauſas ſecundum Poetæ mentem ac Symboli intellectũ declarabimus.

In ſexto uero capite, cum iſtum Amorem diuinum ac ſpiritualem eſſe, nec ullo pacto niſi ab ipſa mente poſſideri conſtet, declarabimus quonam pacto ab anima poſſideatur, & quomodo intellectus illi uniatur copuleturq; expediemus.

Septimo uero ac ultimo loco demonſtrabimus, qua nam ratione humanus hic intellectus tali coniunctus atque unitus amori uitiis omnibus atque peccatis exuatur,& quomodo nos perfectiſſimi efficiamur, ipſique Deo Optimo Maximo, qui omnium rerum eſt perfectio ſummũque bonum, coniungamur. Atque his ita abſolutis, erit totum hoc ſecundum primæ diuiſionis noſtræ membrum explanatum & abſolutum.

DE DEO ATQVE DIVINO PRIMO OMNIVM INTELLECTV DEQVE CAETERIS INTELLIGENTIIS ATQVE ANIMA HOMINIS.




VM summum rerum Opificem Deum Optimum Maximum summum esse bonũ, a quo, tanquam a uero luminis fonte, omnia emanant ac dependent, nemo sit qui neget: ab eo, tanquam a primo omnium principio, totius Mundi bonitas ac perfectio dependeat & deriuetur oportet: Si enim, ueluti in hoc tot Philosophorum Scholæ consentiunt, triplex est Mundus, Elementaris, liceat mihi his uti uocabulis, Cælestis atque Intellectualis, inferiorque a superiori, tanquam ab excellentiori, gubernetur ac regatur, necessario ab illo omnium primo archetypo, intellectuali uidelicet Mundo cœlestis & is qui sub Luna positus est gubernabuntur ac regentur: quod equidem Aristoteles in primo libro Meteororum clarissime asserere uidetur, cum Mundum hunc sub Luna positum atque inferiorem necessario superiorũ orbium motibus fere contiguum dicat, ut inde

uis eius uniuersa regatur. Porro cum ea causa, un de principium motus existit, ab omnibus prima existimetur; diuinus iste intellectualis Mundus, tanquam omnium supremus, duorum reliquorum cœlestis scilicet atque eius qui sub Luna situs est Mundi uerè moderator ac rector existat oportet: qui sanè nihil est aliud, nè si in genere loquamur secludere quid uideamur, pro ut fert nonnullorum opinio, quàm quædam intellectuũ uniformiter difformis, aut, si lubet difformiter difformis latitudo, in qua sunt intelligibiles substantiæ, liberæ ab omni crasi putrescibilisque corporis mole, immortales, insensibiles, quæ cunctis assistunt, cunctisque influunt: atque inter has cum diuinus Dei intellectus primus omniũ esse dicatur, à quo reliqui intellectus omnes, uelut à uero ac primo originis fonte dependent, necessario quoque sequitur, ut ab illo reliquos omnes gubernari ac regi dicamus. De hoc autẽ diuino Dei intellectu, deque Mundi atque intelligentiarum productione, nec non de humanæ mentis formatione; cum uariæ & diuersæ fuerint Philosophorum sententiæ, nos breuiter eorum opiniones percurremus, & ex illis ea tantũ retinebimus, quæ nobis àd præsentem declarationem utilia fore iudicabimus. Iam primum

omnium

omnium constat, Diuinum Platonem. (Prout uariis in locis eius testantur scripta.) in Mundi productione tria posuisse: nempe Deum Optimum Maximum, primum rerum omnium principium, Diuinam mentem seu Intellectum ab ipso Deo manantem, & tertio uniuersam Mundi animam: atque hoc modo Deum Omnipotentem, quem ipse Summum bonum appellat, supra mentem supraque diuinum illum Intellectũ statuit, atque inde ipsum primam istius intellectus originem nominat, a qua tota ipsius dependet essentia. Quamobrem Deum non uult esse Ens aliquod, sed ipsum supra omnes res existentes constituit: cum uidelicet prima essentia ac primum omnium Ens sit Mens ipsa diuina, uel illa prima Idea, ab ipso Deo manans atque dependens: atque ista ratione occultam & reconditam a nostro intellectu Dei Essentiam diuinus ille Plato indagauit: & quia quo nam proprie Deum nomine appellare possit ignorat, ideo sæpissime solo pronomine utitur, uocatque Deum Ipsum: tanquam hoc illi proprie nomen conueniret. Ab hoc igitur primo omnium Deo diuinum Intellectum, rerum omnium Ideis plenum, emanare statuit, quæ formæ siue Ideæ etsi in diuersis rebus diuersæ esse uidentur, non tamen in ipso Intelle

ctu nisi sub quadam unitatis forma consistunt: atque hanc ipsam Idearum unionem neque extra Intellectum consistere, neque ullo modo ab ipso separatam & distinctam esse, Philosophi uolunt: sed illam esse cum Intellectu unam & eandem rem, unamque & eandem essentiam asserunt: una enim ac eadem cum diuina Mens atque diuina sit Sapientia, & eodem modo sic una saltem prima omnium Idea, qua mediante Mundus fuit productus; necessario etiam cum isto primo Intellectu, primam istam Ideam in unitate consistere oportet: & ab hoc Intellectu, cum totum uniuersum perfectissimo modo productum fuerit, etiam Mundi anima emanauit, quæ a Platonicis in tres diuiditur partes, in Animam scilicet, Intelligentiam, & Naturam, ac ueluti Intellectum primum omnium motorem esse, ipsum tamen immobilem statuunt: ita Animam Orbis totius motricem, ipsamque per se mobilem existere affirmant: Orbi uero atque illius Animæ ipsam Intelligentiam, sic uidelicet ab ipso Deo atque diuino ordinatam Intellectu, assistere aiunt: hisque Naturam addunt, quam nihil esse aliud affirmant, quam uitalem quandam ac seminariam uirtutem, quæ rebus omnibus annexa, cuncta penetrans, permeans, producens, regens atque



gubernans, laborat assiduo, ab ipsa Mundi anima primæ infusa materiæ: atque illa sola est rerũ, ab ea tanta uarietate miroque ordine productarum, generationis atque conseruationis causa: cuius uis quatuor clauditur & cohibetur Elemẽtis, ultra quæ non extenditur. Per hunc igitur totius uniuersi ordinem, uniuersaliter ita à Platone constitutum, perque omnes illius Sphæras & orbes, a primo omnium mobili usque ad postremam Lunæ Sphæram descendunt gradatim Philosophi, & cuilibet orbi propriam assignant animam atque intelligentiam: quibus duabus rebus ipsi orbes mouentur ac gubernantur. Atque ista diuini Platonis doctrina, quamuis diu à quàm plurimis recepta fuerit, tamen à Peripateticis deinde reiecta, uariisque impugnata est rationibus: Sed nihilominus multi ueteres ex scholis Arabũ prodeuntes, hanc uiam sequi, hocque dogma, non tamen perfectum adhuc ex omni parte, amplecti uoluerunt: inter quos Auicenna, Algazelles, Alpharabius & Rabi ille Moses Aegyptius, atque eorum discipuli numerantur: atque hi cuilibet Orbi duas attribuunt Intelligentias: quarũ altera effectiue moueat, atque ob id Motiua & Intellectualis anima dicatur: altera uero quæ finem respiciat, & ad illum ueluti proprium amo-

rem & desiderium suum contendat: & quia finis res est perfectissima, ideo ista altera orbis anima, quam Intelligentiam modo diximus, suam mouet Sphæram, ut fini, cuius desiderio tantopere flagrat, tanquam rei perfectissimæ coniungatur. Hac igitur ratione quot sunt orbes, tot illi duplicato & geminato numero constituunt motrices & finales intelligentias: quarum aliæ miro quodam ordine ac serie ab aliis semper dependent: atque illum aliqui ordinem catenam auream uocant: quique hæc ita docent, illi sanè non uolũt Deum Optimum maximum primum esse motorem: si enim hoc admitterent: tunc illius primi Orbis una tantum ac propria esset anima: quin imo ipsum ultimũ ac perfectissimum esse finem affirmant: cuius gratia primus motor ac reliquæ similiter intelligentiæ perpetuo illius amore & desiderio, proprios mouent orbes: &, quod omnes asserunt Philosophi, statuunt ac uolunt, ab uno, in quantum unum est, non nisi unum prouenire. Sic cum Deus sit unus, ab eo non nisi unam simplicem ac perfectissimã operationem prouenire aiunt: hacque moti ratione, unicam tantummodo operationem in Deo ponunt: quã nihil dicunt aliud esse, quàm sui ipsius cognitionem, qua interueniente primam producit In-

telligentiam, primi orbis motricem: cuius sane Deum ipsum finalem causam statuunt, cuius gratia anima siue intelligentia illa, ut amorem & desiderium suum explere possit, orbem suum mouet: huius postea Intelligentiæ duas esse dicunt operationes: Primo enim in quantum diuinam atque Dei simplicissimam cognitionem habet, secundam producit Intelligentiam, secundi orbis motricem: deinde in quantum se ipsam intelligit atque cognoscit, sui Cœli seu orbis animam producit: quæ se primo uniens Cœlo, primum efficit orbem. Secunda autem illa intelligentia easdem similiter habet operationes: Nam quatenus illa primam ac se superiorem intelligit atque cognoscit intelligentiam, tertiam producit: quatenus autem se ipsam intelligit & cognoscit, animã sui Cœli producit: a qua secundus informatur orbis: atque hoc deinceps ordine, cum his productionibus gradatim, ad ultimam usque intelligentiam Lunæ descendunt: quæ similiter eo ipso, quod superiorem intelligentiam cognoscit, intellectum quendam agentem causat: quem Philosophi deinde huius inferioris ac sub Luna positi Mundi moderatorem atque rectorem statuunt: a quo rerum species, ueluti a perfectissima Idea, proprias recipiunt formas: atque is Intel-

lectus ab Auicenna proprio quodam nomine Colcodrea, quod formarum datricem interpretantur, appellatur. Hæc autem opinio ueluti imperfecta fuit ab Auerrhoe, secundum mentem Aristotelis, & a cæteris Peripatetici dogmatis sectatoribus reiecta, uariisque cõfutata rationibus. Peripatetici enim tot esse tantum intelligentias, quot sunt cœlestis corporis orbes, neque plures asserunt: Ipsumque Deum primum esse omniũ motorem dicunt, neque ullum absurdum aut inconueniens sequi uolunt, si quis uniuscuiusque intelligentiæ operationem in suo proprio orbe existere, illique ueluti anima aut forma esse dare afferat: similiterque Deum supremi omnium orbis primum esse motorem statuunt: cum tales uidelicet intelligentiæ sint omnino a materia separatæ. Cumque nemo sit qui neget, istum primũ orbem esse eiusmodi, ut suo complexu totum cõtineat & includat uniuersum, suoque proprio motu reliquas Sphæras, reliquosque Cœli orbes moueat omnes: necessarium illi esse dicunt eam tntelligentiam, quæ illi orbi ueluti forma assistit, essentiamque præstat, Deum Optimum Maximũ esse: extra cuius diuinam essentiam nullus est purior actus, neque eo ipso, quod Deum Motorẽ appellant, cæteris intelligentiis ipsum parem aut

similem se reddere aiunt: quinimo omnibus sublimiorem ac præstantiorem asserunt: qui, quemadmodum primus Orbis cæteros orbes ac totum denique uniuersum continet, ita sua diuina ac infinita uirtute reliquas cæterarum intelligentiarũ uirtutes complectitur. Et postremo si quis plures ponat intelligentias, quàm Orbium numerus postulat, illum contra Philosophicam doctrinã & rationem peccare asserunt: cum neque inconueniens neque absurdum sit, ut una eademque intelligentia sui orbis motrix, sibique ipsa, ueluti finalis causa, assistere perhibeatur: cum suum illa moueat orbem ideo, ut propriam eius adimpleat perfectionem, & eadem quoque ratione nobiliorem illam reddi affirmant, quàm si eam efficientem motus causam solũmodo orbi suo præstare statuerent. Ex quibus omnibus manifestũ est, quod hæc Peripateticorum doctrina duarũ causarũ inter se, agentis nempe & finalis potius, quàm unius intelligentiæ ad alteram comparationem contineat: prout superiorum, de quibus in primis diximus, Secta ponebat, atque huic sanè Peripateticorum opinioni quamplurimos adhærere cernimus, quibus planè necessarium uidetur, Deum ipsum sui proprij motus & efficientẽ & finalem causam existere. Atqui profectò cau

ſa finalis ſemper nobilitate, præſtantia, perfectione, efficientem cæteraſque omnes cauſas excellit ac ſuperat. Atque in his quæ modo diximus Peripateticorum opinio ab eorum, quos ſupra memorauimus, ſententia diſcrepat, illique eſt contraria. An uero horum an illorum doctrina ſit uerior, nos, cum nobis nullus diſputandi hic locus eſſe uideatur, iam non excutiemus: hoc tãtum aſſeremus, nos in hac re cum Platone ſentire, quòd illum a ueritate nihil aberraſſe putemus, ut ſuo deinde loco declarabimus. Nobis autem interim ſufficiat, quod ſciamus, omnes abſque ulla controuerſia unanimiter ſtatuere: Quod uidelicet omnes intelligentiæ per quandam, ut ita dicam, dependentiam ab illa omnium prima intelligentia, mutua quadam analogia ac proportione inter ſe conſiſtant: & ideo Orbes ſuos moueant, ut in optima, quam habent, diſpoſitione permaneant, mouendoque primo omnium motori aſſimilentur: cuius perfectioni ut uniri poſſint miro expetunt deſiderio, quæ perfectio nihil eſt aliud, quàm ſumma Dei diuinitas ſapientia atque amor. His ita explicatis, cum Anima hominis ſit quædam noſtri corporis intelligentia, de ea iam breuiter diſſeremus. Fuerunt autem uariæ Philoſophorum de Anima ſententiæ. Pythagoras

thagoras omnium primus humanam mentem, ſub quodam numerorum ac proportionum uelamine, ut nonnulli uolunt, perfectiſſimã creatã, ſimiliterque perfectiſſimo omniũ corpori, nempe hominis, uelut inter cætera animantia abſolutiſſimæ creaturæ, coniunctam poſuit: quæ deinde, ſecundum opera in hac uita ſua, aut uirtutis præmia, ſi bene egit, aut ſcelerum pænas, ſi male in brutorum deteriores animas degenerans, conſequetur. Poſt iſtius autem opinionem effrenus & impudentiſſimus omnium Epicurus, primitus, poſtpoſita & neglecta omni rationis conſideratione, Animam noſtram mortalitati & corruptioni obnoxiam aſſerere non eſt ueritus: Vnde nec bonorum præmia, nec malorum ſupplicia ulla, poſt mortem expectanda autumans, animum ſuum ad impuras illecebras corporis, laſciuiam, cupiditates prauas, uoluptates inhoneſtas, ac ſenſuum ſordidas delectationes adiecit: a quo equidem futiliſſimo errore inanique opinione quam alienus ſapientiſſimus Socrates, diuinuſq; Plato eſſet, alter nobis uoluntaria morte declarauit, alter innocentiſſima ſua uita, ſanctiſſimiſq; moribus ac innumerabilibus, quibus inſignis erat, uirtutibus, tot ac tam firmis rationibus & auctoritatibus, quibus paſſim eius ſunt referta

uolumina, clarissimè ostendit: quæ omnia quid quæso aliud uolũt, quàm ut nobis hãc animæ nostræ immortalitatem ob oculos & in cõspectũ ponãt? Vult enim diuinus iste Philosophus in Mennone, prout est Platonicorum omnium sententia, Animas in circulo Zodiaco ab ipso Deo creatas esse: cum uidelicet ibi Cœlestes stellarũ imagines sitæ sint, quas aliqui deinde Platonicorum Ideas, ac rerum exempla esse affirmarunt: in quorum numero etiam Albertus Magnus fuit, qui quadraginta nouem stellarũ imagines, ab Astrologis in Firmamento figuratas (duodecim nempe illas quæ in Zodiaco, & triginta sex alias, quæ in toto cœlo expansæ conspiciuntur) non nisi Platonicorum esse Ideas firmissimè credidit: quam quidem opinionem, cum ipsa sit à Platonis sententia prorsus aliena, explodendam censemus. Statuit igitur Plato Animam in Zodiaco creatã, ubi illa ex Idearum cognitione sapientissima efficitur, & postea cum inde, prout est Magni Plotini sententia, in hominis corpus descendit, æthereum quoddam corpus induit, quod uehiculum ipse appellat: quò cum paulatim descendendo, priorem illam, quam habebat, ueram Idearum cognitionem amittit: per orbes autem & Sphærarum motus transiens, operationes suas,

quibus alligata deinde corpori uti debet, ſecundum proprias cuiuſlibet orbis qualitates, accipit: ſic à Saturno intelligendi ac diſcurrendi facultatem, à Ioue operandi potentiam, à Marte audaciam ac confidentiam, à Sole naturalem ſcientiã, à Venere deſiderium atque amorem, à Mercurio Eloquentiam atque interpretationem, à Luna particularium rerum notitiam ſortitur: cumq; illud ibidẽ æthereũ, quod prius aſſumpſerat, corpus amittat, aliud deinde elementare accipit uehiculum, quo tandem corpori coniungitur, cui tamdiu manet alligata, quouſque diuina illam uoluntas ad ſe redire iterum iubeat. Atque hæc diuini Platonis ſententia fuit, quæ myſtico quodammodo ſenſu, animæ eſſentiam & immortalitatem demonſtrat: De qua quidem (ut aliorum opiniones quæ nullius prorſus momenti ſunt, & eorum præcipuè qui Animam ſanguinem, aut ignem, aut cerebri temperamentum eſſe affirmare auſi ſunt, inutiles contentiones omittamus.) poſtea, eius auditor, Ariſtoteles fuſius diſputauit. Animamque communiter nouo uſus uocabulo ἐντελέχειαν, eamque corporis phyſici organici potentia uitam habentis, dixit: Verum poſteaquã de humano intellectu uariè diſputaſſet, ita deinde de ipſius immortalitate breuiter, obſcurè, &

tam paucis ſcripſit,ut quæ eius uera fuerit opinio poſtea non parua inter Peripateticos contentio extiterit: quæ a Priſcis illis Philoſophis uſque ad noſtrum æuum durauit, duratque perpetuo: Nã alij, quorum Princeps Alexander fuit, humanã animã mortalem atque ex materiæ potentia eductam, & ideo corruptibilem materiæque obnoxiam, ſimulque cum corpore interituram eſſe aſfirmarunt: Alij contra ex eadem Peripateticorum ſchola æternã ac immortalem illam aſſerentes, aduerſus Alexandrum diſputarunt: ſicuti Philoponus, Scotus, ac Diuus Thomas, atque alij nonnulli moderni, qui, hac in re aſſecuti ueritatem, animæ immortalitatem affirmarunt: Nonnulli etiam, quorum primus Auerrhoes fuit, Animam unam numero immortalem ac ſempiternã aſſerunt, ſuoque perpetuo illam aſſiſtere orbi, in ſingulis autem indiuiduis mortalem & interiturã eſſe affirmant, Auicenna uero clariſſimus Philoſophus, contrarium ſentiens, Animam immortalem &, ſecundum ueram Chriſtianorum ſentẽtiam, poſt corporis formationem creatam eſſe aſſerit: quæ etſi in humano corpore incipit, non tamen accipit, ut ita dicam, eſſe ſuum a corpore, ita ut hac ratione ab omni ſegregata corpore, omnique libera materia exiſtere per ſe poſſit. Inter

tot autem & tam uarias hominum opiniones, cũ unusquisque suam esse ueram contendat, idque uariis conetur demonstrare rationibus, quæ nã sit uerissima & optima neque diiudicandi neque disputandi hic est locus. Omissis igitur aliorum omnium fundamentis id quod uerum est, cum Christianis Theologis, cum diuino Platone, Auicenna, cæterisque omnibus, qui hac de re optime senserunt, amplectimur: credimusque animã hominis uere immortalem & sempiternam esse: idque rationibus, ubi necesse erit, euidentissimis probabimus, cæterasque omnes ab hac ueritate alienas opiniones, ueluti uanas ac nullius momẽti reiicimus & explodimus: ut quæ non solum dignæ sint, ut non discutiantur, uerum etiam ut ne imaginatione quidem ulla percipiantur. Noster uero hic Intellectus, quem immortalem ac sempiternum, secundum ueritatem ponimus, cum unus & sub unitatis forma in nobis existat: secundum uarias ac diuersas suas operationes in diuersas ac uarias diuiditur partes. Cumque eius proprium sit, ut res intelligat & diiudicet, necesse est ut sola rerum cognitione, precipue exterioribus sensibus mediantibus, in nobis fiat & consistat. Sensus enim primas ac secundas rerum omnium qualitates singulatim percipientes, à quadam tã-

dem uniuersali Potentia recipiuntur, quam cõmunem sensum appellant, estque una de Potentiis nostri intellectus: qua mediante, intercedentibusque sensuum instrumentis, ille aptus est ut omnes formas, quæ sub sensum cadunt, percipiat & discernat. Est & alia intellectus nostri Potentia, quam imaginatiuam appellant: cuius officiũ est, ut, cum ipsa nihil præsentiat, a prioribus sensibus imagines acceptas retineat & conseruet. Est deinde & tertia intellectus nostri potentia, quæ Phantasia dicitur, & cum superiori, prout uolunt nonnulli, est eadem, estque illius officiũ ut imagines acceptas, & quæ & quales sint res, quarum ipsa imagines recepit, diiudicet & discernat: circa quas & falli nonnunquam, & uere nõnunquam iudicare solemus: illa uero similiter ab exterioribus phantasmatibus mota, rerum simulacra & species recipit: & ab alia deinde Potentia, quæ memoria appellatur, ut diutius retineantur & conseruentur, adiuuatur. His autem Potentiis omnibus ipsa rationalis uirtus superior & dignior est: quæ ratiocionandi & iudicandi facultate prędita est, & a qua sola præcipue homines appellamur, & à cæteris differimus animantibus: cum hac itaque Potentia intellectus ille qui passibilis siue materialis appellatur, cõiunctus est: est enim

neceſſarium ut omne quod recipitur ante ab intellectu poſſibili, ueluti à prima potentia recipiatur quàm ad actum deueniat: de qua quidem Potentia materiali latiſſimè diſputat Auerrhoes in tertio de Anima. Eſt & alia uirtus ſeu facultas, quam intellectum ſecundum habitum appellãt: quæ nobis non à natura ineſt, ſed extrinſecus aduenit, longa enim doctrina & exercitatione comparatur. Alia quoque eſt uirtus quæ intellectus ueluti habitus dicitur, quæ illius intellectus, quẽ modo Materialem diximus, quædã eſt perfectio: reperiturque tum in nobis, quando iam ferè uniuerſales rerum comprehendimus formas, ita, ut non amplius in illis mediante phantaſia cæteriſq; præcedentibus cognitionibus nos exerceri neceſſe ſit: ſed huius intellectus ſolummodo officio, citra ullum aliud medium, uti per ſe poſſumus. Sunt rurſus etiam duæ aliæ Potentiæ ſiue uirtutes, quarum altera intellectus practicus appellatur, & eſt ille, qui de rebus alio atque alio modo agendis conſultat & tractat, uerſaturque in ſola actione, altera uero intellectus ſpeculatiuus dicitur, & eſt ille, qui res æternas, quæ ſemper uno & eodem ſe habent modo, cognoſcit & ſpeculatur. Præter has uero omnes, quas hactenus enumerauimus intellectus ſpecies, eſt quædam alia fa

cultas, quam intellectum secundum actum appellant, & tum locum uere habet, quando id quod prius erat in habitu, iam actu ipso intelligitur & percipitur: & hanc facultatem Aristoteles intellectum in actu secundo appellat. Restat ultimo loco postrema omnium potentia, quæ intellectus agens dicitur, & est illa, quæ, ut sic dicam, ultimum esse ac postremam perfectionem intellectui præstat: Intellectus enim iste qui agens dicitur, ea quæ materiali & passibili intellectu comprehensa sunt in actum deducit & format, intellectusque habitum efficit: quamobrem diuina hæc facultas omnium est præstantissima ac nobilissima, ut quæ ab omnibus cæterarum uirtutum intellectuum & facultatum sola efficiens causa dicitur. Et quamuis singulæ hactenus enumeratæ Potentiæ inter se se diuersæ esse, & quodammodo differre uideantur, omnes tamen unam, sub quadam diuinissimi æterni ac immortalis intellectus forma, in homine potentiam efficiunt atq; constituunt.

QVID SIT SVMMVM BONVM, ET QVO NAM PACTO REBVS OMNIBVS INFVNDATVR.



VM in ſuperiori capite de Deo, ac primo omnium intellectu, deque intelligentiis, nec non de mente hominis, ea, quæ ad præſentis Symboli declarationem neceſſaria ſcitu eſſe uidebantur, breui declaratione abſoluta ſint: reliquum eſt, ut nunc de Summo bono, de quo à nobis ſecundo loco agẽdum eſt, uerba faciamus: illud autem, ſi rem ſanè & rectè perpendere uoluerimus, nihil aliud eſſe, quàm diuinum Dei amorem, deprehendemus: primò quidem in ipſo Deo exiſtentem, deinde uero ab ipſo, ueluti primo luminis fonte, rebus omnibus per ſimplicem, ut ita loquar, emanationem infuſum ac multiplicatum. Nemo ſiquidem eſt, qui non fateatur, Deum Optimum Maximum principium eſſe Amoris, primumque amatorem: ſed & hoc conſtat, quod primo illo amore, neminem alium quàm ſemetipſum proſequitur: unde neceſſario ſequitur, quod ipſe Deus ante omnia ſit illud primum quod amatur,

primuſque omnium amor: atque hunc diuinum Amorem ſi definire uoluerimus, nihil aliud dicemus eſſe, quàm circulum quendam bonum ex bono ad bonũ per orbem rediens qui perpetuo circumuoluitur, eſtque nihil aliud quàm ipſe Deus, ex Deo, in Deum rediens: quem ſummũ bonum poſtremamque omnium bonitatem eſſe cum nemo ſit qui neget, neceſſe erit ut dicamus: ſummum bonum nihil eſſe aliud quam diuinum Dei Amorem, qui cum talis ſit, ut & ipſum Deũ amatorem, & eundem quoque id quod amatur conſtituat, nullum utique, ſicuti in reliquis omnibus, diſcrimen aut differentiam inducet: quin imo diuina & interna Dei iſta relatio unitatem ſimpliciſſimam ac perfectiſſimam efficiet: Diuina ſiquidem eſſentia non eſſet ſummè perfecta, ſi ſapientiſſimus iſte amator, non in ſe ipſum ſuæ pulcritudinis amorem referret, ut ita ex his ambobus perfectiſſimus omnium amor reſiliret. Nam quemadmodũ in Deo, is qui cognoſcit, id quod cognoſcitur, atque ipſa cognitio, unum & idem ſunt: ita & in eo, Amator, id quod amatur, & ipſe amor, unam & eandem rem, unam & eandem naturam unam; & eandem eſſentiam efficiunt. Is ſiquidem qui intelligit, res intellecta, atque ipſa intelligentia tantum inter ſe ſunt diuiſa, quate-

nus in potentia esse dicuntur, & e diuerso hactenus inter se unita ac coniuncta sunt, quatenus ex potentia illa in proprium actum exeunt: eodem plane modo, Amator, id quod amatur; atque ipse amor; eo usque inter se diuiduntur, quousque in Potentia reperiuntur: simul uero atque in proprio esse actu dicuntur, statim contra uniuntur. Cum igitur hæc tria in purissimo actu diuino, tanquam in omnium primo, reperiãtur, erũt quoque sub unitate quadam, & sub Natura quadam, ac essentia purissima, simplicissima & omnium perfectissima. Atque hic est primus ille intrinsecus ac uerus amor in Deo: quem si quis summum bonum dicet, is unam & eandem Naturã, unum & idem, unam & eandem Essentiam dicet, ex qua cunctæ res producuntur & dependẽt: Ex splendore siquidem diuinæ eius, quæ amatur, pulcritudinis, primus omnium uniuersalis intellectus Ideis plenus, prout Platonici asserunt, quẽque mentem ipsi appellant, producitur atque emanat: qui primus est omnium pater, prima forma, primumque id, quod iam inde ab æterno, ab illo antiquissimo Chao amatum fuit, hoc est à prima illa confusa ac rudi materia, quam cum diuino sapientissimæ mentis intellectu productam affirmant: atque hanc diuini nempe intellectus

primæque materiæ productionem, à primo omnium amore emanasse Platonici asserunt: Deus siquidem optimus maximus cum filium sibi similem producere desideraret, diuinum hunc primũ uniuersalem intellectum, cum omnibus rerum omnium Ideis produxit: simulque cum eo magnum illud inordinatum ac uastissimum Chaos Idearum, quarum essentias continebat, umbris obscurum productum fuit: inde ut hoc matrem, ita illum patrem appellarunt. Hoc igitur primũ desiderium producendi totum uniuersum, fuit primus Dei amor extrinsecus, qui in uniuersi productione simul primorum Mundi parentum productionem causauit: primum uidelicet illum uniuersalem intellectum, omnium Patrem, & uastissimum illud Chaos primam omnium matrem: quibus duobus parentibus mediantibus, ueluti instrumentis, uniuersum Mũdum ad diuinæ suæ pulcritudinis atq; sapientiæ similitudinem Deus cupido & ardenti amore creauit, formauit, atq; depinxit. Atque hic extrinsecus producendi totum uniuersum Dei amor, secundum in ordine tenet gradum, quamuis ipse in primo quoque Amore sit positus. Sed & ex hoc diuino Dei amore adhuc aliud secũdo loco & quod in gradu tertium est diuinum Amoris genus dependet: Re-

ciprocus uidelicet ille primi Chaus erga diuinũ & uniuersalem intellectum, ueluti uxoris in uirũ, & similiter ille diuini intellectus, erga suum hoc Chaos, ueluti uiri in uxorem Amor: quo amore ac desiderio mutuo siue reciproco mediante totum ho c uniuersum productum fuit. Hoc siquidem Chaos cum, ueluti quid imperfectum, aliquam desideraret perfectionem, hanc cum primo intellectu, à quo perficeretur, unionem ac coniunctionem cupidè expetebat: & e diuerso quoque primus similiter intellectus, ut tale imperfectum Chaos perficeretur, secum illud coniungi desiderabat: atque horum inter se mutuum desiderium, mutuusque amor, prout diximus, in causa fuerunt ut Mundus produceretur. Ex hoc uero secundo, de quo diximus, amore, postea alius quidam tertius producitur Amor, qui in gradu tamen quartus est, ad rerum generationem & conseruationem omnino necessarius: & est proprie ille amor, quo singulæ istius Mundi partes se inuicem prosequuntur & amplectuntur, ut & alia aliam amando foueat, & cum sibi ipsa, tum aliis quoque secum cõseruationem præstet: ut sic cum toto uniuerso, quemadmodum totius Essentiales, ut ita loquar, ac integrales partes consistere possint: quod etiam fusius suo loco de-

clarabimus: hoc interim nobis in præsenti sufficiat, quod sciamus, Summum bonum nihil esse aliud quàm Amorem, qui per totum uniuersum successiue & gradatim diffluit & diffunditur: in primo siquidem omnium principio, flagrans ac diuinus iste Dei Amor ortum habuit: ut uidelicet Mundum ad summæ suæ pulcritudinis ac sapientiæ imaginem & similitudinem crearet: deinde uero secundus Amor, post primorum parentum productionem, originem suam habuit: loquimur autem iam de illo reciproco & mutuo amore, qui, ueluti materiæ ad formam, in suo genere est omnium perfectissimus. His postremo etiam loco tertius ille amor, qui toto iam formato Mundo cum singulis illius partibus fuit productus, annumeratur: quibus omnibus si primum illud amoris genus, quod solius Dei intrinsecũ esse diximus, addatur, quatuor omnino erunt Amoris gradus: qui etsi inter se differre uidentur, omnes tamen, sub quadam Analogia, ad primũ illum Dei amorem referuntur, & ab eo, ueluti à primo luminis fonte, dependent: & quamuis diuinus hic Amor unus existat, multiplicatur tamẽ per gradus quosdam, & singulis rebus, primum uniuersali intellectui, deinde ipsi Mundo singulatim, & postremo omnibus eius infunditur par-

tibus: quibus mediantibus omnia producuntur, productaque conseruantur. Alia similiter ratione ac uia summum hoc bonum, quod Amorem esse diximus, secundum Arabes, quorum superius facta est mentio, emanat & rebus omnibus infunditur: prout superiori capite fusius declaratum fuit: illi siquidem asserunt, quod prima omnium causa, cum supra reliquas omnes orbium motrices intelligentias, ueluti ultimus finis consistat, & ab omnibus ametur ac desideretur, sit quædam simplicissima unitas cum diuino immẽsæ suæ pulcritudinis amore: quo deinde mediante simul cum cognitione primam intelligentiam producit: ipsaque per se liberrima, sine ullo medio, diuina Dei pulcritudine, diuinoque Dei amore in cõtemplatione fruitur. Hæc igitur omnium intelligentiarum prima, cum duas, ueluti diximus, habeat contemplationes, alteram nempe pulcritudinis, quæ est in illa suprema causa, cuius amore, desiderio ac cognitione, deinde secũdam ipsa producit intelligentiam: Alteram uero, qua suam propriam contemplatur pulcritudinẽ, cuius deinde amore & uirtute proprium producit orbem, ex incorruptibili corpore circulari, & ex intellectiua compositum anima, quam suæ amatricem intelligentiæ ponunt. Secunda uero

intelligentia non, ut prima, absque medio, sed per medium aliquod diuinā pulcritudinem hoc eodem, quo prima, desiderio, eodem amore, eademq; uirtute contemplatur: & eundem quoque effectum, easdemque intelligentias, ut prima illa, producit. Atque hac deinceps uia summum hoc bonum, quod primum ac diuinū Dei esse Amorem diximus, eatenus gradatim extenditur, quatenus ipsæ extenduntur intelligentiæ, ad intellectum usque agentem, ab intelligentia Lunæ, eodem similiter amore, desiderio ac uirtute, productum: qui sane agens intellectus mouetur eodem amore, eademque uirtute, qua reliquæ omnes intelligentiæ mouentur: omnesque deinde formas, sub diuersis gradibus & uariis speciebus, inferioris ac sub Luna positi Mundi, in ipsa omnium prima materia producit: quæ quidem materia, quamuis in tota rerum existentiū latitudine omnium sit imperfectissima, eo quod ipsa remotissima est à prima omnium causa, diuino tamen illius amore accensa, summa quadam propensione, ac uehementi desiderio erigitur, conaturque proximè ad hanc diuinam Dei perfectionem accedere, à qua tamen omnium maximè abest. Hoc itaque illa desiderio & hac ratione in ipsas gradatim uenit formas, à quibus maximè

xime perficitur: & ſane primo in Elementorum, ſecundo in mixtorum inanimatorũ corporum, tertio in Plantarum, quarto in animalium formas ac ſpecies illabitur, & quinto etiam in ipſius hominis materialem formam, & ſexto in ipſum, ut ita loquar, actuatum abit intellectum, tandẽque una cum hoc, diuinæ pulcritudini coniungitur & copulatur, mediante, pro ut aliqui uolunt, intellectu agente: ut hac ratione ex primo ad ultimum ſummum hoc bonum, quod Amorem Dei eſſe declarauimus, perueniat: & ueluti ex primo omnium fonte, gradatim rebus omnibus infunditur, ita ſimiliter poſtea gradatim iterum ex ipſis rebus aſcendit, & cum ipſo rurſus Deo coniungitur ac copulatur. Non deſunt tamen Peripatetici, qui hanc opinionem impugnant, pro ut iam ante à nobis in primo eſt dictum capite: Illi enim neque inconueniens neque abſurdũ eſſe dicunt, ſi quis Eſſentiarum multitudinem ordine, ab ipſo Deo, abſque ullo dependere medio aſſerat, uelitque quod diuina pulcritudo ſingulis intelligentiis, quæ ipſos mouent orbes, ſine aliquo medio infundatur imprimaturq;: cum uidelicet a diuina hac pulcritudine intelligentiæ omnes, cum ſuis orbibus, itemque ipſa prima omniũ materia, & reliquæ ſpecies, hominiſque intelle-

ctus dependeant: quæ ſimul omnia æterna eſſe di cuntur, & licet illi hanc, ut ita dicam, dependen tiam immediatam eſſe uelint, tamen ſecundum gradus illam & magis & minus recipere aſſerunt: neque enim negant, in prima intelligentia perfe ctius hanc Dei pulcritudinem imprimi, quàm in ſecunda, & in ſecunda perfectius iterum, quàm in tertia: & hoc modo ſucceſſiue ad humanum uſque intellectum. Quamuis autem Arabum & Peripateticorũ opiniones, quas iam retulimus, inter ſe differre & diuerſæ eſſe uideantur, nobis tamen hoc unum ſatis ſit, quod conſtet, ſummũ hoc bonum uel diuinæ huius pulcritudinis Amo rem rebus omnibus infundi ac participari: idque pro noſtra declaratione ſufficiat, quod omnes uno ore concordes fateantur hoc ipſum, ita, ut quælibet horum dogmatum opinio nobis, quo pacto hic à Deo Amor dependeat & emanet, & quomodo per totũ uniuerſum gradatim diſper gatur, oſtendat ac demonſtret, adeo ut uerè hũc diuinum Amorem gradualem, ut ſic loquar, om nium Entium circulum appellare poſſimus: in quo ueluti unumquodlibet punctum principiũ & finis eſt, ita Deum Optimum Maximum, qui ſummum bonum atque omniũ primus eſt amor, dicamus uerum eſſe punctum, ueluti principiũ

& finem huius immensæ bonitatis suæ, quæ per duos semicirculos extenditur. Vnus enim ab ipso descendens ad ultimum illud, quod à diuina remotissimum est perfectione, tendit: atque hic est ille primus amor, qui per certos gradus naturæ Angelicæ, à maioribus ad minores transit, atque hinc ad ipsam cœlestem Naturam successiuis semper ambulans gradibus, uenit, indeque à Cœlo Empyreo usque ad ultimam Lunæ sphæram pergit: à qua postea se in inferiorem & istũ, qui sub Luna positus est Mundum demittit, perque suos tandem gradus primæ infunditur materiæ, & in illa, prima hæc circuli medietas, tanquam in omnium à diuina sua perfectione remotissima re, terminatur atque finitur, ibidemque postea illa alia secunda circuli medietas incipit, & per gradus sursum erigitur, semperque à minori, ut dictum fuit, ad maius transit: primumque ab ipsa materia ad Elementa, ab Elementis ad corpora mixta, à mixtis corporibus ad plantas, a plantis ad animalia, ab animalibus ad ipsum hominem, & in homine ex anima uegetatiua ad sensitiuam, ex sensitiua ad intellectiuam progreditur: & inde ultra in actibus ipsius intellectus ex uno intelligibili ad aliud, & semper à minori ad maius, usque ad actum intellectualem diuini

omniumque ſupremi intelligibilis, aſcendit: quod ultimum & unum intelligibile, ueluti finis omnium perfectiſſimus, eſt ipſe Deus Optimus Maximus.

QVID SIT AMOR ET QVOT SINT AMORIS SPECIES ET DE QVA POETA NOSTER INTELLI GENDVS SIT.



VPERIVS Summum bonum nihil esse aliud, quam diuinum Dei amorem, primũ in ipso Deo Optimo Maximo, deinde gradatim ac successiue rebus omnibus infusum ac multiplicatum, satis declaratum à nobis fuisse arbitror. Vis autem diuini huius amoris tam late extenditur, ut nihil prorsus appareat, quod non illius sit particeps: & quia de ipso hactenus in genere & uniuersaliter diximus, ideo reliquum esse uidetur, ut nũc deinceps distinctius & particulatim de eo agamus: prout eorum fert opinio, qui de hac re fusius tractarunt. Statuimus igitur, ueluti nonnullis uisum fuit, uniuersalem illum Amorem nihil esse aliud, quam affectum quendã participandi eius, quod uel aliorum, uel sui ratione pulcrum, aut cognoscitur aut existimatur. Atque hæc equidem definitio, quam si ita lubet descriptionem dicas, satis esse lata & conueniens, omnibusque

Amoris ſpeciebus competere uidetur. Sunt tamen aliqui qui hunc Amorem definientes, eſſe deſiderium cum quadam unione fruendi eo tantummodo, quod bonum cognoſcitur, affirmāt. Diuinus autem noſter Plato amorem, eius, quod pulcrum eſt, deſiderium eſſe dicit: cum pulcritudo nihil ſit aliud, quàm quædam concinnitas aut gratia, quæ propria ſui cognitione delectationē pariens, animum ad amandum moueat. Ariſtoteles autem Amorem eſſe deſiderium boni, aut ſui aut aliornm cauſa exoptati, ponit: quàm quidem definitionem latiorem & uniuerſaliorem eſſe illa, quæ à Platone traditur, apparet: Diuinus ſiquidem Plato eam ſolummodo Amoris partem definire uidetur, quæ ſoli homini competit: Ariſtotelem contra uniuerſalius loquentem, ſingulas Amoris partes comprehendiſſe, manifeſtum eſt: cum ipſum uidelicet non ſub pulcritudinis, ſed bonitatis ratione, definiat: in qua definitione neque diuinum Dei erga creaturas Amoris genus excluditur, & eſt proprie is amor, quo Deus noſtras ſecum animas cōiungi & uniri deſiderat, ut propria ſua perfectione eas perficiat: de quo ſane amore ſuo loco deinceps fuſius agemus. Cum igitur, ut dictum eſt, Amor ſit deſiderium, aut uoluntaria quædam erga pulcritudinem & boni-

tatem affectio & propensio, quæ rebus omnibus uniuersaliter infunditur, & in iis multiplicatur: nos ad singularem & particularem illius declarationem propius accedemus. In primis autem in tres ipsum nobis placet diuidere partes, ita, ut aliquis Amor dicatur Naturalis, aliquis sensitiuus, & tertius sit qui uoluntarius seu rationalis nuncupetur. Ex his autem tribus; naturalis amor nihil est aliud, quàm quædam innata cupiditas & propensio omnibus rebus insita, qua illæ propriã aliquam sui perfectionem appetunt: & existit in Elementis omnibus, in corporibus inanimatis, Metallis, Mineralibus & in plantis, quæ sane res omnes certam quandam sui finis cognitionem, certamque ad illum assequendũ propensionem habent: quæ uere & proprie appetitus dicitur: idque in leuibus ac grauibus corporibus uidere licet: quorum altera semper deorsum descendere, altera semper sursum ascendere, utraque tanquã àd propria sua loca & ab eis naturaliter amata atque desiderata, expetunt. Dicimus igitur amorem hunc propensionem quandam, huiuscemodi rebus à natura tributam, ad id, ut proprium semper assequi cupiant finem: Secundus uero Amor, quem sensitiuum modo diximus, est proprie is, qui in solis animalibus ratione carentibus

reperitur: quo illa uidelicet ducta, ex una parte ea, quæ ad propriam sui substantiam & sustentationem faciunt, uno semper instinctu prosequũtur: ex altera parte econtra fugiunt & auersantur ea, quæ illis ueluti contraria & noxia esse cognoscuntur: unde necessarium esse uidetur, ut res illæ ab animantibus prius cognoscantur, deinde desiderentur & amentur, & tandem quoque inquirantur: ac comparentur sicuti uidemus fieri ab illis in cibo, potu, coitu, quiete & huiuscemodi rebus aliis, quæ nec appeti nec desiderari possunt, nisi prius cognoscantur. Si illas autem non cognosceret animal, neque appeteret utiq; neque appetendo prosequeretur, neque, si non prosequeretur, propria uita frui posset. Sed neque hunc amorem rationalem aut uoluntarium appetitum dicimus: siquidem ipsa uoluntas nullo modo ratione carere potest, qua bruta animalia destituta & priuata esse constat: quin potius esse illud sensitiuæ uirtutis opus affirmamus, ut hac ratione non immerito cognitio seu, ut ita loquar, sensualis appetitus dici possit. Tertius uero amor, quem uoluntarium diximus, est is, qui in solis tantum hominibus reperitur, & ab ipsa ratione una cum uoluntate gubernatur, quæ soli, inter omnia animantia, homini est concessa: unde

fit ut

sit ut ultimus iste amor solius hominis proprius esse dicatur: quamuis & hoc fateamur, quod priores illæ duæ Amoris species, Naturalis scilicet & sensitiua, non sint alienæ prorsus ab homine, ueruntamen tertiam hanc speciem nō omnibus cōmunem, sed soli competere homini statuimus. Ita enim a Natura comparatum est, ut semper id quod nobilius & perfectius est reliquis, etiam in se inferiora ignobiliora & imperfectiora quæ sunt complectatur & contineat: quemadmodum ab anima uegetatiua & sensitiua exemplum sumere licet: quæ ambæ a rationali anima, ueluti ab omnium perfectissima, continentur: non é contrario autem ipsa rationalis a uegetatiua aut sensitiua continetur. Sed quia dubitare aliquis posset, utrum hæ rerum omnium propensiones & appetitus, recte Amoris nomine appellari possent, cū amor sit uoluntatis, quæ in solo homine reperitur, affectus quidam: ideo nos dicimus: quod, cum omnia ex suis contrariis cognoscantur, considerari oportet, quæ nam res Amori si contraria: iam autem constat esse Amori contrarium odium, unde manifestum est, posse huiusmodi inclinationes seu appetitus Amoris nomine appellari: Quemadmodum enim in homine uolūtarium odium eiusdem hominis Amori contra-

rium esse dicitur, ita etiam in animalibus odium illarum rerum, quas ueluti noxias sibi fugiunt, cõtrarium est & pugnat cum desiderio earum rerũ, quas tanquam sibi cõuenientes & necessarias sectantur. Idem uero prorsus de naturali quoque dicendum est propensione: Nam sicuti graue alta, tanquam sibi contraria, naturali quodã odio semper fugit, ita infima naturali quodam amore semper prosequitur. Constat igitur ex his in omnibus rebus, sicuti reperitur odium, ita & amorem inueniri. Nos autem ex tribus Amoris partibus illa duo prima capita, quæ & naturalem & sensitiuum complectuntur Amorem, missa facientes, de tertio tantum, uoluntario scilicet & rationali, dicemus Amore: quem similiter in tres diuidemus partes: in Delectabilem scilicet, Vtilem, atque Honestũ. Delectabilis autem Amor ille uere ac proprie dicitur, qui à corporis pulcritudine, cum quadam exteriorũ in nobis sensuum delectatione, prouenit: estque totus lasciuus & sensuum solummodo delectationibus indulget: atque hic est ille amor, quem nostra hac tempestate maxime esse in usu cernimus, cuius finis nõ est alius, quàm Lasciua & obscœna corporei nexus coniunctionisque membrorum delectatio, quæ ipsa quàm primum perit & extinguitur, iste

quoque una amor deficit & deperditur, neque enim amplius amatur id, in quo nulla est reliqua talis delectatio: ita siquidem à Natura comparatum est, ut quæcunque delectationem nostris sensibus afferre possunt, illa cupide & auide in primis desiderentur, simul uero atque in nostram ueniunt potestatem, tum statim satietate quadã rerum illarum sensus explentur, ita ut illæ non solum non amentur amplius, sed ut ipsi sensus etiã postea ab illis abhorreant: neque tamen negare possumus, sæpissime hoc amoris genus ad honestum amorem reduci posse: quoties uidelicet, mediante corporis pulcritudine & ipsius honestatis atque integritatis delectatione accedente, fit, ut ad diuinum Dei amorem perueniamus: pro ut suo loco fusius declarabimus. Vtilis autem amor propriè ille appellatur, qui in nobis ex rerum utilitate, cuius gratia res ipsæ amantur, nascitur & oritur: atque hic est diuitiarum, possessionum, ac facultatum reliquarum amor: quæ omnia eatenus nos amamus, quatenus nobis utilia fore cognoscimus: & seruilis potius amor, quam alio nomine appellandus est: siquidem cum ipsa utilitate extinguitur & cessat. His prædictis duabus Amoris speciebus tertio loco à nobis Honestus amor connumeratur: & est ille qui proprie soli compe

tit homini, & in nobis ex honesto & bono quodam prouenit desiderio, atque ex uoluntario affectu originem ducit, qui affectus non est uagus, sed ab ipsa ratione omniũ magistra gubernatur. Talis est ille scientiarum ac uirtutum omnium amor, talis quoque est ille mutuus ac reciprocus amicorum, Patris & filij, uxoris & mariti, inter se, & ut breuiter dicam omnium bonarum rerũ amor: quibus interuenientibus nos homines aliquo modo perfectiores fieri posse speramus. Hic uero Amor non, ut utilis & delectabilis, post amissam rei amatæ possessionem euanescit & deperditur: quinimo contra potius magis magisque crescit & augetur semper. Diuinus similiter Plato tria Amoris genera constituit: ex quibus unum materiale, alterum totum formale, & tertium ex utroque mixtum esse dicit: tribuitq; singulis sua nomina, & Ferinum unum, alterum Diuinum, tertium Humanum appellat. Ferinum amorem dicit esse desiderium, quod in rebus corporatis & ex materia compositis iustum excedit modum, neque ab honesto uel à recta ratione quicquam temperatur, sed totus positus est in delectationibus, tam iis, quas ex rebus materialibus, quàm iis, quas ex nimia cupiditate atque utili auaritia sensus percipiunt. Cumque in hoc desiderio ra-

tioni nullus omnino sit locus, ideo proprie brutis relinquitur animantibus: atque hunc amorẽ Materialem appellat ideo, quod ex corporali solummodo constat & compositus sit materia. Humanum uero amorem eum esse affirmat, quem nos superius honestum diximus, qui solus circa scientias & uirtutes morales uersatur, quibus ueluti medijs sensuum operationes, humanæque in nobis actiones coadiuuante ratione temperãtur & ad bonumque honestumque solummodo reducũtur: Est autem hic amor, ut Plato noster docet, ex corporali materia & intellectuali forma perfecta cõpositus: uocaturque humanus ideo, quod ipse homo, in quo amor iste consistit, ex corpore & intellectu constat. Restat tertius Amor, diuinus a Platone nostro dictus, qui æternarum rerum æternæque sapientiæ est amor: ideoque diuinus appellatur, quod ipse solus in intellectu consistens, ab omni disiũctus ac segregatus est materia, quodque in illo solo homines diuinæ Dei pulcritudinis diuinæque Dei sapientiæ fiunt participes. Ex his autem tribus Amoris speciebus nos duas priores relinquentes, de tertio tantum ac diuino dicimus Amore: de quo Poeta in Symbolo nostro, quemadmodum demonstrabimus, intelligi debet. Habet autem Amor iste duas partes, qua

rum altera diuinum Dei erga nos amorem, altera contra nostrum erga Deum diuinum similiter amorē continet. atque ac diuisione omnia amoris genera comprehendimus. Diuinus igitur erga nos amor est ille, de quo in superiori capite dictum fuit, qui ab ipso Deo manans rebus omnibus infunditur & multiplicatur, & primum quidem diuino eius intellectui, hinc reliquis intelligentijs, & ab his in cœlestia corpora, deinde humano Intellectui, tandemque rebus omnibus ad materiam usque primam influit. Deus siquidē omni gloria dignissimus simplicissimo ac perfectissimo quodam nos amplectitur amore, nec ita quemadmodum reliqui amatores solent amare, ut ipsi scilicet rei amatæ coniunctione perficiantur, uerum ut ipse potius nos, quos amat, sua propria perfectione ac bonitate perficiat: cui tādem si coniungamur, omnium perfectissimi efficimur. Alterum autem, nostrum scilicet erga Deum amorem secundo loco numerauimus, qui uere quidem est illud desiderium, quod a rebus inferioribus ad Deum extenditur, ut ipsi, tā quam omnium perfectissimo fini, coniungantur copulenturque: de quo abunde satis superius diximus: atque hic amor totus sanctus & spiritualis dicitur, & a diuinæ pulcritudinis desiderio mo

uetur, à qua illuminatus gradatim progreditur, & ad cõiunctionem primi illius diuini Dei amoris accedit, atque in illius unione & coniunctione ultimum suæ perfectionis gradum, summa cũ felicitate, consequitur. De hoc igitur Amore nostro secundo, cum primo illo Dei amore simul, sub quadã unitatis purissimæ simplicissimæ ac perfectissimæ formæ, coniuncto atque unito locutus est diuinus noster Poeta Bocchius in præsenti symbolo: de quo suo loco dicemus fusius. Interim autem nobis sufficiat ut, postquam iam ea quæ à Philosophis de Amore tractantur breuiter enarrata sunt, etiam ea quæ à Poetis dicuntur similiter breuissime percurramus & declaremus. Sciendum est autem quod Poetæ has omnes Amoris partes, de quibus dictum est, fabularum inuolucris inuoluentes, sub quadam certæ allegoriæ ratione Deos aliquos finxerunt, quorũ nominibus delectabilem aut ferinum Amorem, & deinde quoque utilem, qui si cum ratione fuerit, humanus & honestus appellandus est, ac postremo diuinum illum sanctum ac spiritualem, de quo ultimo loco diximus Amorem significarunt. Cumque omnis Amor in tres sit distributus, ut iam uidimus, species, similiter quoque tres finxerunt Poetæ Deos: quorum duos prio-

res, Cupidines appellarunt, quod uidelicet Cupido nihil aliud significet, quam inordinatum effrenumque desiderium. Et sane primum Cupidinem, quem Amori delectabili tribuunt, Puerū, cæcum, nudum & alatum esse, simulque arcum & sagittas gerere finxerunt, eundemque in omnibus suis actibus, uoluptatibus solis deditum, ex Marte & Venere ortum, affirmarunt: quod Mars uidelicet sit Planeta actiuus, caliditatisque largitor: Venus autem abunde affluentem, naturalem, & bene digestam dispositamque humiditatem ad libidinem præstet: unde alter uoluntatem & cupiditatem ad lasciuiam, altera potentiam suggerit: atque hinc est quod hunc uoluptatis tātum & oblectationis studiosum ac proprie libidinosum Amorem appellant. Alterum deinde Cupidinem, quem utili Amori tribuunt, Dianæ & Mercurii filium esse dixerunt, eumque similiter, ueluti primum illum, alatum esse finxerunt: quod uidelicet diuitiarum ac facultatum cupiditas & utilitatis amor homines ueloces ac promptos ad rerum acquisitionem reddat. Cuius rei argumento ducti Astrologi, Mercurium homines sollicitos, subtilesque reddere negociatores, Dianam uero, id est Lunam, eosdem rerum facultatibus abundantes facere affirmarunt. Et sic priores duo

duo Cupidines, quos Deos esse Poetæ finxerũt, absoluti sunt. Tertium autem & honestum amo rem, cum nihil non moderatum, temperatum, or dinatumu'e suadeat, ideo illum non Cupidinẽ, uerum potius perfectissimum, diuinum, sanctũque Amorem uocarunt: eundemque sanctissimi Iouis & magnæ Veneris filium esse retulerunt: qui cum sit quoddam bonum honestumque desi derium, proprius eius erat finis diuinam sanctissimi Iouis pulcritudinem contemplari. Patrem autem huic Amori Iouem assignant ideo, quod diuinus sit: Magnamque Venerem cœlestem illius matrem dicunt, quod illa sit alia & diuersa dea ab illa altera, quæ libidinosa & effrena præbet desideria. Hæc enim moderatos tantum, hone stos & spirituales affectus & amores erga honestissimi amoris sanctissimũ Patrem Iouem tãquam mater, intellectui infundit & ingenerat: Vnde quemadmodum duas Veneres constituimus, quas matres Amorum esse dicimus, ita necesse est ut duos similiter constituamus amores. Et pri ma sanè Venus cum sit lasciua & libidinosa admodum, eius Amoris, quem delectabilem diximus, mater erit. Altera cum contra sit magna cœlestis & sancta, sanctum honestum & diuinũ amorem producat oportet. Quem Poeta in præ

ſentis ſymboli figura depinxit & de quo poſtea dicturi ſumus nonnihil. Extiterunt quoque nonnulli qui Amorem uniuerſalem magis finxerunt: illum ſiquidem filium Noctis & Erebi affirmarũt eſſe, quem Deum omnium Animæ paſſionum dixerunt: inter quas omnes primus & præcipuus eſt Amor. Attribuere deinde Erebo etiam alios filios, id eſt alias paſſiones, quæ omnes Amorem ſequuntur: atque hi per Erebum inhærentiam animæ ad materiæ potentiam intelligunt: Noctẽque ideo matrem ponunt, ut oſtendant amorem ex priuatione & defectu pulcritudinis fieri ac generari, cum Nox nihil ſit aliud quàm lucis ac diei defectus atque priuatio. Aliam quoque Amoris generationem quidam ſecundum Platonem ponunt. Ex Poro ſiquidem magni conſilij Deo, & Penia, id eſt paupertatis Dea, natum Amorẽ eſſe perhibent. Eo enim tempore quo Dij Natalem Veneris celebrantes, frequentes ad cõuiuiũ confluxerant: Porus menſæ aſſidens, diuino ebrius fuit nectare, ſurgenſque ex Ianua in Iouis uiridarium proſiluit, ibique ebrius obdormiuit, eo autem in loco cum eſſet Penia, paupertatis dea, quæ ad conuiuium ut tanquam mendica & paupercula alimenti aliquid poſtularet acceſſerat, coacta ipſa neceſſitate, cum ibidem dormi-

entem Porum uidiſſet, fraude & actu ſe ipſi coniungere cogitauit: & ita clam adhærens ipſius lateri procubuit: ille autem, ueluti ebrij ſolent, nihil conſiderans cum ea rem habuit, ex quo Penia concepit Amorem ſagittiferum, Veneris, id eſt pulcritudinis, comitem & obſeruatorem eo dictum, quod in eius natalis celebratione conceptus fuerat. Et quia ut diximus Dei Pori & Peniæ deæ paupertatis filius erat, ideo de utriuſque parentis natura aliquid ſumpſit & participauit: unde fit ut in principio & ſua origine ſemper, ueluti pauper & mendicus, egeat: poſtea uero, ſecundum patris ſui naturam, pulcerrimas ſemper res bonaſque procudit, nouique aliquid machinatur & in prudentiæ ac ſapientiæ ſtudioſum eua dit: atque hoc modo, dum in utraque communicat natura, ſecundum propriam ſuam eſſentiã eſt ueluti medium aliquod inter mortalitatem & immortalitatem, atque hanc ob cauſam diuinus illum Plato Dæmonem appellauit. Iſtam autem ſub fabularum uelamine Amoris deſcriptionem, non niſi ueram pulcerrimarum rerum allegoriã continere illi aiunt, qui myſticam inde ſententiã eliciunt & declarant. Porum ſiquidem conſilij, magni Dei filium, nihil aliud eſſe, quam influentem Dei Optimi Maximi intellectum dicunt: atq;

hic nectare ebrius, hoc est Idearum & diuinarum formarum plenus, ex ianua in uiridarium ad dor miendum prosiluit, hoc est cognitionem corpo reo Mundo applicuit, quo cum Penia, id est ma teria ipsa prima, quæ formarum omnium erat e- gena, & perfici desiderabat, coniuncta fuit, ad- hærensque huic diuino intellectui, concepit: un de ex utroque ortus est Amor perpetuus nexus, æternumque uinculum rerum omnium inferio- rum: quæ nec sunt in totum mortales, cum æter no tempore, per successionem, in genere durent: nec in totum immortales, cum particulariter & secundum partes corrumpantur.

INTERPRETATIO DE AMORE DIVINO, DEQVE OMNIBVS ILLIVS SPECIEBVS, NEC NON QVOT ET QVALES HARVM SINT EFFECTVS.



MOREM ſuperius uniuerſali quadā diuiſione in duas partes ſecauimus, & alteram quidem Diuinum Dei erga nos amorem, alteram uero econtra noſtrum erga Deum eſſe amorē demonſtrauimus: Cumque hi duo amores ambo diuini & ſpirituales eſſe dicantur, de illis tantummodo nobis nūc ſermonem eſſe habendum ſtatuimus: utputa de quibus clariſſimus noſter Poeta Bocchius in præſenti ſymbolo ſuo & præcipue loquitur & præcipue intelligi debet. Et quia uterque iſte Amor diuinus, ut diximus, exiſtit, ipſaque diuinitas bonarum ſimul ac honeſtarum actionum ſola eſt principium, medium, & finis: ideoque omniū rerum bonitatem ac honeſtatem in ſe cōtinebit. Diuinitatem autem principium ideo dico, quod ab ea noſter intellectus & rationalis dependeat anima, quæ ſola rerum bonarum ac honeſtarum in humana uita effectrix exiſtit, nihilq; eſt aliud,

quam quidam infiniti ipsius Dei luminis radius, homini ad hoc ut immortalem rationalem & feli cem ipsum reddat inditus ac tributus. Medium uero dico, eo quod ipsa diuina sua mediante sapientia, per opera, quæ in totius uniuersi & rerũ omnium creatione uidemus, animũ ad diuinarum rerum contemplationem moueat: quarum imitatio quædam est uia & medium quo animi ad omnes moderatas honestissimasque actiones, nec non ad sanctissimos illos & optimos diuinitatis conceptus, quatenus illos nostra hæc humana conditio assequi potest, trahuntur. Finem etiã appello sanctissimam hanc diuinitatem, quod nimirum nihil illa sit aliud, quàm omnium actionũ nostrarum determinatus finis, cuius causa nostra hæc humana perficitur mens, mediãte in primis uirtutis habitu: ex quo deinde ad sapientiam peruenimus, cuius finis est cognoscere Deum Optimum Maximum, summum bonum, summam sapientiam, rerumque omnium principium: a quo equidem in nos hic diuinus emanat amor, qui miro desiderio rem quam amat secum coniungi expetit. Atque huic sane diuino Dei amori etsi quoddam inesse desiderium apparet, non tamen in ipso defectum aut priuationem aliquam præsupponimus: cum uidelicet ipse Deus summum

bonum summaque sit perfectio: nihilque omnino ei desit quod posset desiderare amplius. Neq; etiam, cum modestum bonũ uirtutisque studiosum aliquem hominem sapientem esse dicimus, idem est atque si Deum similiter sapientem appellemus: quinimo ista adeo inter se differunt, ut nulla prorsus sit humanæ ad diuinam sapientiam proportio. Quemadmodum enim Deus ipse absque omni collatione ac proportione est homine excellentior & superior: ita & sapientia ipsius humana est longe perfectior: & eodem modo diuinus amor ac per cõsequens eiusdem desideriũ humano est perfectius. In nobis siquidem utrũque & desiderium & amor passio est, atque defectum & priuationem præsupponit: in ipso uero Deo econtra est rerum omnium perfectio absolutissima, ita ut hoc desiderium in diuino amore non sit defectus aut priuatio alicuius rei, quæ ipsum deficiat: uerum eius potius rei qua hæc, quæ ab eo amantur, carent ac destituuntur: & ideo Deus desiderat ut cũcta ab eo producta perficiantur, atque ea maxime perfectione, quam suis mediantibus operationibus consequi possunt: ut in genere humano apparet: in illo enim nostrã Deus perfectionem desiderat atque amat, atque hoc nostra mediante sapientia, nostrisque

bonis operibus. Amor autem iste ex immensa eius prouenit perfectione: creaturas siquidem suas ad maiorem, quo ipsæ carent, perfectionis gradum accedere cupit: ad quem tandem ubi peruenit, feliciter eius frui possint unione: atque hunc perfectionis gradum ut assequamur, semper suum nobis diuinũ feliciter largitur auxiliũ: licet ipse Deus non, ut amatores reliqui, cum rebus amatis unionem desideret: uerum enimuero nostram cum sua diuinitate cõiunctionem ideo desiderat, ut mediante hac perfectio nostra immaculatior semper & absolutior reddatur: unde similiter operum ipsius Creatoris ad suas creaturas relatio hoc mediante amore purior & perfectior efficitur. Est autem diuinus iste Dei Amor duplex: alter namque intrinsecus, Extrinsecus alter dicitur: de quibus in secundo capite superius dictum a nobis est fusius: ubi declaratũ fuit, Intrinsecum Dei amorem unam & eandem rem, unam & eandem Essentiam esse cum ipso Deo: Amor siquidem, Amator, & id quod amatur, sub purissimo ac simplicissimo quodam unitatis actu comprehenduntur, atque inter se re ipsa eadem, essentia eadem, & natura quoque eadem esse dicuntur: hic autem primus diuinus Dei amor in causa fuit, ut uniuersalis diuinus intellectus for-

marum omnium atque rerum Ideis plenus, pro duceretur, cumque eo ſecundus ſimul Amor ori retur, qui ut Mundus prodiret, in cauſa fuit: Pro ductus quoque fuit cum illo tertius Amor, qui eſt ipſarum partium totius uniuerſi inter ſe: quo mediante ſeſe amant mutuo conſeruanturque, atque hi omnes Effectus uti à primo Dei diuino amore, tanquam prima cauſa orti ſunt: ita ſimili ter ab illo gubernantur, reguntur & conſeruan-tur. Dependet uero tandem uniuerſalis ab illo etiam quidam Amor, qui eſt in rebus omnibus, præcipue uero in angelis, intelligentiis, & noſtro Intellectu humano: qui ſolus inter mortalia æternus & immortalis exiſtit, & à quo ad ſpirituũ contemplationem accendimur, illaque median te gradatim poſtea ad ſummæ ipſius ſapientiæ ac diuinitatis amorem & contemplationem erigi-mur, de qua ſane contemplatione Deus ipſe gau det, non abſolute (in Deo ſiquidem id minus fieri poteſt) ſed relatiue & reſpectu noſtri: inque hac relatiua perfectione finis diuini huius Dei Amoris uniuerſo omnibuſque ſuis partibus con ſiſtit, illaque mediante ſumma Dei perfectio fit pleniſſima, ueluti res quæ ſuo perfectiſſimo ter-minatur fine, cuius cauſa deinde omnia produ-cuntur, ſuſtinentur, mouentur ac gubernantur.

Reliquum est nunc ut de secundo nostro scilicet erga Deum Amore dicamus: quo mediante nos quoque similiter perfecti efficimur, summæque Dei bonitati ac diuinitati coniungimur, cum incorporeis tamen & spiritualibus actibus, qui a sola mente soloq; intellectu ab omni materia separato dependent. Cuius intellectus mortale & fragile hoc corpus, quod nos homines gerimus, Deus particeps fieri uoluit, estq; intellectus istius operatio propria, intelligere, quæ sanè operatio & ipsa in tot alios diuiditur actus quot sunt res quæ intelligi possunt: atque hi omnes etsi actus perficientes, quod nostræ ad Deum reductioni sint auxilio, dicuntur, nihilominus tamen primus ille intellectualis actus, qui solus aliorũ omnium est causa, habet ueluti proprium obiectum suum diuinam Essentiam cum summa eiusdem sapientia: quo obiecto mediante, intellectus passibilis secundum totam Essentiam suam ad perfectissimum suum actum reduci potest, ita ut hoc pacto nos tribus uniuersalibus gradibus ad Deũ reducamur: utputa Intellectione, Amore atque Vsu. Intellectione siquidem mediante summam Dei pulcritudinem, sapientiam ac bonitatem cognoscimus: quarum rerum cognitione iam accẽsis & inflãmatis nobis secundus gradus diuinus

nempe accedit Amor, quo & ipſo magis magiſque accenſi in primis Deum, deinde proximum ardenter amamus: atque hoc duplici amore ſanctiſsima Chriſtianæ noſtræ legis obſeruamus præcepta: quibus dicitur: Dominum Deum tuum ex tota mente & ex toto Corde tuo diliges, & proximum tuum ſicut te ipſum: horum autem mandatorum obſeruatione cum perfectiſſimi efficiamur, ad ultimum gradum, nempe ad ipſius Dei accedimus conſuetudinem: in qua, tanquam in proprio & deſiderato fine, anima noſtra quieſcit, & ſic his Amoris gradibus præcipue, ueluti amatrix in ſupremo illo quod amatur, perficitur, fitque diuina: Cum enim nos Deũ amamus, ab eo ſimiliter redamamur, ut hac ratione & amatores ſimus & amemur pariter: atque hoc pacto propter diuini amoris participationem eius etiã diuinitatis reddimur participes: quæ cum ſit ſumma pulcritudo, alia omnis pulcritudo ab ipſa pendet & partem ab illa capit, & unuſquiſque amator ipſi amando approximat, eiuſque tum pulcritudine tum diuinitate ſemper augetur. Habet autem hic Amor tantam in nobis uim & efficaciam, ut, quemadmodum effrenus delectationis appetitus & inſatiabilis diuitiarum cupiditas noſtram intellectiuam animam funditus perdunt,

ſolique materiei clariſſimam ſimul mentem cum obſcura, ut ſic dicam, ſenſualitate obtenebrantes obedientem reddunt, ita inſatiabilis & ardẽs diuinæ huius ſapientiæ amor una cum Dei amore noſtrum intellectum homine dignum reddat, faciatque corruptibile hoc noſtrum corpus angelicæ diuinitatis inſtrumentum. Vnde hominem nonnulli μικρόκοσμον, id eſt Mundum paruum, uocarunt: quippe proportionem & conformitatem quandam cum toto illum uniuerſo, cumque omnibus illius partibus habere clariſſime uidebant: præcipue tamen tribus illis gradibns, quos Platonici in uniuerſo ponebant, animæ ſcilicet intellectui & Diuinitati reſpondere hominem cernebant: illius enim triplicem animam ſenſitiuam uidelicet & intellectum, tam paſſibilem quàm agẽtem tribus illis iam dictis gradibus æquiparabant & ipſius Mundi conferebant Animæ: quæ illa eſt, unde actiones & motus corporum cœleſtiũ proueniunt, à quibus ipſa Natura rerum omnium inferiorum gubernatrix dependet: Animam deinde hominis ſenſitiuam cum duabus illis Potentiis ſenſus & motus utputa uoluntarij comparabant. Intellectui uero, qui omnes diuinas formas ac ſpecies continet, noſtrum intellectum paſſibilem & materialem, qui poſtrema in nobis eſt

forma, æquabant. Et postremo Diuinitati agentem comparabant intellectum, qui cum passibili coniunctus perficitur impleturque Dei bonitate & gratia, mediante amore simul & ea pulcritudine qua coniungitur copulaturque sanctissimæ Dei diuinitati: quacum tandem coniunctus atq; unitus diuina illius cognitione sanctissimaque uisione perpetuo fruitur. Hic igitur est diuinus ille pariter & sanctissimus Amor, de quo Poeta noster in præsenti symbolo intelligi debet: quique nos semper accendit, ut nunquam eius nos desiderio destituamur: Crescente siquidem diuina semper in nobis cognitione, simul etiam cognitæ iam à nobis diuinitatis amor & desiderium augetur. Cum enim diuina Essentia tanta sit ac talis, ut sine ulla proportione nostram excedat cognitionem, necessario hic noster erga Deū amor magis magisque augeatur & excrescat oportet, & desiderium diuinæ huius cognitionis ardentissimum efficiatur: Amor enim iste, respectu diuini sui obiecti, nunquam cessare aut finem reperire potest: respectu uero nostri & terminum & finem habet tunc, cum iam perfectissimi ad ultimum gradum peruenimus: cum quo gradu noster hic amor coniungitur copulaturque. Est autem ille nihil aliud quàm diuini Dei erga nos amoris, no-

ſtrique erga Deum ſimiliter, ſub unitate quadam ſimpliciſſima unio & coniunctio: de qua proprie loquitur Poeta noſter. Et, quemadmodum ſuperiori capite dictum fuit, Poetæ unum Amorē, ſanctiſſimi Iouis & Magnæ Veneris filium, finxerunt: quem tamen aliqui geminum eſſe dixerūt: quod nihil aliud ſignificat: quàm diuinum Amorem geminum eſſe noſtrum ſcilicet erga Deum & Dei erga nos Amorem. Iouem quoque, qui apud Poetas pro ſummo habetur Deo, Amoris illius patrem eſſe uoluerunt, ut oſtenderent, cū hic amor ſanctiſſimus & diuinus ſit, eius eſſe finē ut ſummam patris ſui pulcritudinem contempletur: Magnam ſimiliter Venerem illi matrem attribuerunt: quæ nihil ſignificat aliud, quàm ipſius Iouis, id eſt Dei, ſapientiam: quæ ſola ſanctiſſimi Amoris mater eſt: de quo nos iam ſatis ſuperque locutos fuiſſe arbitror.

QVAE SINT VERAE DIVINI HVIVS ET SANCTISSIMI AMORIS CAVSAE, SECVNDVM PROPRIVM SYMboli intellectum & sententiam.



VM superius de diuino & sanctissimo amore, de quo Poeta noster intelligendus est, fuse satis, ut arbitror, declaratum & pertractatum sit: cumq; ipse sit in mente amatoris pulcritudinis, aut si lubet ut ita dicamus, bonitatis quidam effectus, suasque necessario efficientes causas habeat, ad quas correlatiue, tanquam Effectus ad causas, & econtrario similiter causæ ad Effectum, referatur: rationi consentaneum ualdeque necessarium esse uidetur, ut etiam de causis illius efficientibus dicamus: de quibus breuiter ea tantummodo, quæ ad nostram spectare declarationem uidebuntur, referemus. Pro harum autem declaratione ut paulo altius negocium repetamus oportet.

Cum igitur Mundus hic à summo Dei Optimi Maximi intellectu, tanto ordine, tanquam miro artificio productus fuerit: quemadmodum hoc ex uniuersali primum, & deinde particulari rerũ

ordine, adeo manifeste cognosci potest: ut nemo sit qui, cum recte consideret & ponderet, tam stupendi ordinis totius uniuersi & partium miro sibi ordine inuicem correspondentiam non admiretur opificium: absurdissimum plane fuerit, si quis Orbem casu extitisse asserat, & non a sapientissimo productum esse intellectu fateatur: hac siquidem mediante consideratione, summam mẽtis diuini & ipsius opificis perfectionem cognoscimus: quæ perfectio nihil est aliud quam infinita Creatoris omnium rerum & totius uniuersi sapientia: quæ ab ipso Deo, in uniuersali primo omnium consistens intellectu, emanat atque dependet: & hanc aliquo modo ab ipso Deo distinctam ac separatã esse diuinus affirmat Plato: Primum siquidem uniuersalem intellectum: diuinãque sapientiam proprie non esse summum Deũ: neque tamen etiam ab ipso re ipsa differre & separatam esse asserit: uerum ab illo quodammodo dependere atque emanare dicit: istamque sapientiam aut intellectum, Mundi opificem, & primã illius Ideam appellat, quæ rerum omnium essentias & formas in se continet: quas similiter Ideas Plato nominat: sicuti dictũ fuit in superioribus capitibus: huic tamen Platonis opinioni discipulus illius Aristoteles, non ueritus est reclamare & contradicere.

contradicere. Diuinam quippe sapientiam nullo modo ab ipso Deo distinctam aut emanātem, sed unam & eandem cum ipso rem, unam & eandem essentiam esse dicit: & illam totius uniuersi primam omnium motricem intelligentiam uocat. Quam quidem opinionem omnes postea secuti sunt Peripatetici, præter Auicennam Algazellem, Alpharabium & alios, quorum supra facta fuit mentio: qui hac in parte Platonis maluerunt amplecti opinionem, licet imperfecte ad modum: Intelligentiarum siquidem productionem emanationemque alteram ex altera successiue ponebant: quam quidem opinionem, ueluti omnium a ueritate remotissimā & nullius momenti, Peripateticis ac aliis relinquemus: Nos uero cum diuino nostro Philosophantes Platone, tanquam eo qui magis ueritati Christianæ religionis adhæret, affirmabimus, hanc a Deo emanantem sapientiam simul cum primo intellectu esse eandem, cum ipso Deo & ab ipso similiter etiam quoquo modo distinctam separatamque. Vnam autem & eandem eo dico, quod non sit ab ipso distincta: & distinctam dico, ueluti quiddam ab ipso dependens atque emanans: quemadmodum de luce solari clarissime exemplum summere licet: quæ cum in se sit una, tamen ab

ipso Sole, tanquam suo principio dependet atq; emanat. Adde quod huic etiam Platonicæ opinioni antiqua Moysis, Cabalistarum, omniumque Hebræorum scriptura adhæreat: à qua etiam similiter uera sanctissima Christiana nostra religio non discedit. Nam ueteres illi ac sapientissimi Hebræi, cum de hac re præcise admodum loquerentur, non dicebant Deum sapientem creare, aut sapienter facere: sed cum sapientia Deũ facere & creare aiebant: ut ostenderent Deum summum esse Creatorem, cum sua tamen sapientia tanquam instrumento & medio. Atque de hac sane diuina Dei sapientia, secundum hanc Platonis opinionem, Salomon sapientissimus Hebræorum Rex, in Ecclesiasticorum & Prouerbiorum libris fusius loquitur, ubi dicit: Sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper. & est ante æuum. Et iterum alio loco de eadem ita scriptum reliquit: Ego ex ore altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam. Et in Prouerbiis ita dicit: Ego sum sapientia. Et paulo post sequitur: Dominus possedit me in initio uiarum suarum, antequam quicquam faceret à principio & ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes

aquarum eruperant, necdum mõtes graui mole constiterant, ante omnes colles ego parturiebã. adhuc terram non fecerat & flumina & cardines orbis terræ, quando præparabat Cœlos aderam: quando certa lege & gyro uallabat abyssos, quã-do æthera firmabat sursum, & librabat fontes a-quarum, quando circundabat mari terminum suum & legem ponebat aquis nè transirent fines suos, quando ponebat fundamenta terræ, cum eo eram, cuncta componens: & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore.
Ex quorum uerborum sententia clarissime uide-re est, quàm aperte sapientissimus iste Rex huiu sce Platonicæ opinionis ueritatem ostendat, & contra Aristotelem demonstret, hanc summam Dei sapientiam ab ipso Deo, tanquam à patre ac primo rerum omnium principio, emanare atque produci: quæ quidem Diuini Platonis opinio, quemadmodum antiquis Hebræorum sententiis conformis est, ita quoq; sanctissimæ nostræ Christianæ religioni est consentanea. Diuinus siquidem iste ac sanctissimus Philosophus tres in Deo personas, quemadmodum Porphyrius Diuusq; Augustinus affirmant, ponit. Primo namque Deum ipsum, secundo Mentem, id est diuinam sapientiam, quam alibi etiam alio modo Ideale

uerbum, alibi, prout Plotinus testatur, emanās à lumine lumen appellat: & tertio loco statuit id quod ab his duobus, Deo uidelicet & Mente, producitur, totius nempe uniuersi Animam ad Mūdi spiritum applicatam. Atque hæc tria cum sub quadam simplicissimæ unitatis essentia consistere affirmet: uidetur mystice quodammodo sanctissimæ Trinitatis mysterium aperuisse: de qua illū sub numero ternario, more Pythagorico, locutum esse nonnulli affirmant: de qua etiam pari modo, forsitan mystice, ueluti aliter non est putandum, cæterarum nationum omnes tum Philosophi tum Poetæ locuti sunt: hunc siquidem numerum ternarium sacrum, perfectissimum & potentissimū esse omnes uno ore astruunt: quasi sub hoc numero aliquod diuinitatis mysterium, quod eis tamen esset incognitum, lateret. Omnium autem primi Pythagorici de hoc numero locuti sunt, summamque in ipso esse perfectionem asseruerunt: de quo etiam Trismegistus ille Mercurius omnium antiquissimus multa sanctissime scripsit: præcipue cum Mundum hunc tribus perfici rebus dixit, Hermemane, id est caussarum conuentione, Necessitate, & Ordine. Huius etiam rei Aristoteles in primo libro de Cœlo & Mundo meminit, ubi omne totum & perfectū

idem esse scribit: unde postea secundum Pythagoricos perfectum corpus appellat id, quod trina proportione est dimensum. Veteres similiter Magi tria Mundi posuerunt principia, quæ Oromasim, Mitrim, Araminim appellarunt, hoc est Deum, Mentem, & Spiritum. Per eundem similiter numerum Prophetæ Mundum ab ipso Deo dispositum esse affirmarunt: Numero scilicet, Pondere, & Mensura. Pythagorei quoque in sacris & purificationibus suis hoc numero utebantur. De hoc numero multa Aegyptij, multa Indiani Gymnosophistæ, multa Hebræorum Cabalistæ dixerunt. De hoc etiam, tanquam de numero in quo diuinitas quædã latitare uideretur, Poetæ locuti sunt, ut Virgilius, qui ad hunc numerum respiciens in Bucolicis suis ait. Numero Deus impare gaudet: Vnde in incantationibus quoque numeri istius plurimus erat olim usus: sicut idem Poeta uersibus his facit manifestum.

Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore
Licia circundo: terque hæc altaria circum
Effigiem duco. & paulo post:
Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:

Et de Medea legitur.

Verbaque ter dixit placidos facientia somnos.

Plura alia quoque de sanctissimo hoc numero tũ

Poetæ tum Philosophi omnium nationũ scripsere: inter quos etiã clarissimus noster Bocchius, cum non immerito & Poetæ & Philosophi nomen sibi uendicet, & Poetarum & Philosophorum more hanc rem in præsenti Symbolo mira quadam ingenii dexteritate demonstrauit: Et licet sacrosanctæ Trinitatis antiquitas ignara prorsus fuerit, non defuerunt tamen qui hanc significare uoluisse aperte uidentur: inter quos, sicuti iam diximus, Platonici clarissimi extiterunt, quẽadmodum Porphyrius & Diuus Augustinus testari uidentur: illi enim tres in Deo personas ponebant, nempe Deum ipsum Optimum Maximum, Mentem, & Animam, aut Mundi spiritũ: quod similiter etiam Plotinus & Philo testantur, deq; eodem spiritu Virgilius in sexto Aeneidos loquens dicit.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem:

Iamblichus quoque, de eadem re loquens, hanc mentem seu diuinum hunc intellectum Dei filiũ ponit: illumque unam & eandem rem, unam & eandem Essentiam cum patre esse affirmat. Mercurius similiter Trismegistus in suo Asclepio, hãc mentem Dei filium statuit, cum inquit: Deus meus atque pater mentem sibi aliam opificem pe

perit, & alio loco dicit: Monas gignit Monadẽ. Iamblichus etiã adducit Chaldæorum oracula, quæ in Deo paternam ponunt poteſtatem: à qua intellectus dependet, à quibus duobus poſtea ignitus emanat Amor. Sed quid plura? breuiter quid ueritas ipſa philoſophicis poſſit rationibus uideamus: ne tãtorum uirorum auctoritatem nudam, & ſine ratione fuiſſe quis credat: ſiquidem nec in hac parte clariſſimi optimique philoſophi defuere, qui fuſius & apertius hanc rem pertractarunt: quam nos perquam breuiſſimis rationibus demonſtrabimus. Ac primum liceat nobis barbaris quibuſdam uocibus uti, cum res ipſa aliter non patiatur. Manifeſtum eſt, ut ueris innixi fundamẽtis progrediamur, quod omne id quod alteritatem præcedit, ſit incorruptibile, immortale, & æternum: quod & ſi uerum ſit axioma, tamen manifeſtiſſime demonſtrari poteſt: cum enim alteritas nihil ſit aliud quàm ipſamet mutabilitas, omne igitur id, quod mutabilitatem præcedet, erit immutabile: & per conſequens incorruptibile atque æternum. Hæ autem res cum ita ſe habeant: certum eſt alteritatem cõſtare ex uno & altero, quamobrem ſicuti numero alteritas poſterior eſt unitate: ita per conſequens neceſſario unitas natura eſt ipſa alteritate prior. Sed cum

omne id, quod alteritatem præcedit, æternum sit: necessario unitas, cum ipsa alteritatem præcedat, æterna erit. Concludimus igitur unitatẽ ipsam sui ipsius natura esse æternam. Atque his ita positis, cum alteritas, ut diximus, sit quædam inæqualitas: omnisque inæqualitas ex æquali, & eo quod excedit uel deficit constet: sequetur profecto necessario, quod inæqualitas sit natura posterior æqualitate: quæ res & ipsa manifestissime per resolutionem cognosci potest. Omnis enim inæqualitas resoluitur in æqualitatem: cum æqualitas posita sit inter magis & minus: de quibus si id quod magis est tollas, restabit æquale: at si minus erit, ablato illo quod est maius, similiter æquale restabit. Atque si hoc ita fecerimus, poterimus, si modo uelimus, peruenire ad alia simpliciora. Manifestissimũ igitur est quod omnis inæqualitas, si auferatur aliquid, in æqualitatem resolui possit: erit igitur natura æqualitas prior ipsa inæqualitate. Sed quia inæqualitas & alteritas simul, ut diximus, consistunt: quod clarissime etiã demonstratur, quod ubicunque inæqualitas est, ibi etiam alteritas similiter reperiatur: & econtrario ubi alteritas, ibi pariter qouque est inæqualitas, quia ad minus intra duo consistit, & semper duplicitatem ad alterum duorum faciet, quam ob causam

ob causam inæqualitas erit & per consequens alteritas & inæqualitas natura simul erunt. Sequitur igitur necessario, cum æqualitas inæqualitatem præcedat, quemadmodum demõstrauimus, quod eodem etiam modo alteritatem præcedat. Sed quia omne id quod alteritatem præcedit est æternum; erit quoque æqualitas æterna, cum ipsa alteritatem præcedat. Statuimus igitur æqualitatem esse æternam. Cum itaque unitas æterna sit, & similiter ipsa quoque æqualitas: ulterius constat, quod, si duæ sint causæ quarum una natura sit prior altera, sequetur ex hoc, quod & ipse effectus primæ natura sit prior effectu posterioris. Vnitas autẽ uel est cõnexio uel connexionis causa siquidem inde cõnexa dicuntur aliqua, quia simul unita ac coniuncta sunt. Pari modo numerus binarius, cum prima diuisio sit, aut est diuisio, aut diuisionis causa. Iam uero quia unitas causa connexionis est, binarius autem numerus diuisionis causa semper existit, necessario quoq;, quemadmodum ipsa unitas natura est prior binario, ita connexio natura est prior diuisione, cum prioris causæ effectus posterioris effectus sit prior. Porro alteritas & ipsa diuisio simul existunt: ergo connexio, cum diuisionem præcedat, similiter etiam alteritatem præcedet: & per consequens

æterna erit: siquidem omne id quod alteritatem præcedit æternum est. Connexio igitur æterna est. Atque uerè æterna, quemadmodum proba tum est, sunt hæc tria: unitas, æqualitas, & connexio. Verum quia plura æterna diuisa esse non possunt: siquidem absurdissimum esset hoc: si enim plura essent, cum pluralitatem præcedat unitas, sola unitas æterna esset: & sic id quod æternum esset ipsa præcederet, essetque natura prior æternitate: quod impossibile & absurdissimum est. Deinde quod si plura essent æterna & diuisa: alterum alteri necessario deesset: & per consequens illorum nullum esset perfectum: atque ita aliquid æternum esset, quod esset imperfectum. Quæ omnia cũ impossibilia & absurdissima sint: cumque unitas æterna, æqualitas æterna, & connexio quoque æterna sit: necessario quoque hæc tria sub quadam unitate simul erunt. Sic ergo unitas, æqualitas, & connexio unum sunt. Atq; trinam hanc æternam unitatem Pythagoras adorandã esse docuit: siquidem unitas nihil est aliud quàm ipse Deus pater: æqualitas uero eius filius, noster CHRISTVS, qui patri solus æqualis est: connexio uero Spiritus Sanctus ac diuinus amor, de quo Poeta noster intelligi debet: qui a patre simul & filio manans, sua connexione pa-

trem ſimul & filium cōnectit ac unit. Atque hæc breuiter dicta ſint ad tantorum uirorum opiniōnes confirmandas: quas, ſi diligenter conſiderare uoluerimus, clariſſime perſpiciemus cum prima illa diuini noſtri Platonis ſententia, præter unius diſcipuli Ariſtotelis doctrinam, omnes ferè ſentire & concordes eſſe: cui equidem quàm bene uera noſtra Chriſtiana reſpondeat religio, non eſt neceſſe ut demonſtrem: cum per ſe id ſatis manifeſte ac clariſſime appareat. Nobis tantum id ſufficiat, quod diuinam hanc ſapientiam à Deo emanare atque dependere ſciamus: quam diuinus Plato Ideale uerbum appellat, quod ſecundum Chriſtianam ueritatem nihil eſt aliud, quàm ipſe Dei filius CHRISTVS IESVS: à quo ſimul & pater Mundi Spiritus producitur, id eſt ſanctiſſimus ille ignitus amor, quem nos Spiritum ſanctum appellamus: qui uerè nihil eſt aliud, quàm diuinus quidam amor, cuius cauſa omnia producta & creata fuerunt: eſt ille qui rebus omnibus, ut ſuo loco antea à nobis dictum fuit, gradatim infunditur: quo mediante ad ipſius Dei cognitionem & tandem quoque ad eiuſdem perfectiſſimam unionem inflammamur incendimurque: à quo ſimiliter diuinus noſter Platonicus Poeta accēſus, cum ſanctiſſima hæc my-

steria omnia consideraßet, uellétque diuinum hunc amorem describere cum omnibus suis ueris, primisque causis, pinxit hunc Spiritum sub Amoris forma, quæ illi Poetico more sola conuenit, productum ab ipsa Patris Sapientia: quàm ipse per Palladem denotat, eundemque unam & eandem rem cum Sapientia esse demonstrat; cum sub Mercurij forma simul connexos describit: qua descriptione nihil aliud quàm Essentiam eorum unam & coniunctã esse ostendere uoluit. Hunc autem Amorem si à magna illa & cœlesti Venere & Ioue natum dixerimus, apparebit, easdem esse causas; eandemque descriptionem, qua ipse Sanctissimum hoc Trinitatis mysterium, secundum Platonicam doctrinam satis Christianæ ueritati conformem, optime depinxit: de quo ueteres philosophos omnes locutos esse & illud detexisse aliquo modo uidentur. De hoc igitur Sanctissimo Trinitatis Sacrosanctæ mysterio in præsenti Symbolo, sub uero sanctissimi amoris nomine, Poeta noster loquitur: cuius ueræ, primæ, ac immediatæ causæ, quemadmodum diximus, nullæ sunt aliæ, quàm Summa ipsius Dei sapientia & Verbum, sub una natura, sub una essentia, sub una diuinitate coniunctum cum illa: à qua, tanquam à uera causa, simulque à patre san

ctissimus hic emanat atque dependet Amor: qui sane similiter in sapientiā ipsam & uerbum a Deo inque Deum ipsum redit: quique, quemadmodū Diuus Paulus testatur, est is à quo omnia, in quo omnia, & per quem sunt omnia: Nam à Patre, ueluti à primo omnium fonte, cuncta emanant: In filio, tanquam in piscina, omnia cum suis collocantur Ideis: Per Spiritum sanctum autem omnia explicantur, & singula in proprios gradus distribuuntur.

QVO NAM PACTO DIVINVS AC SPIRITVALIS AMOR AB ANIMA NOSTRA POSSIDEATVR, INTELLECTUSQUE ILLI UNIATUR COPULETURQUE.



VM diuinus hic Amor, de quo superius locuti sumus, Spiritualis & simplicissimus sit, nec queat recipi ab aliqua ulla potentia, quæ nō & ipsa spiritualis & simplicissima sit: restat nunc ut declaremus quo nam pacto ab Anima nostra, seu Intellectu similiter spirituali ac simplicissimo recipiatur: qui solus est in homine liber, immunis, atque à ma-

teria separatus: quemadmedum Aristoteles in libris de Anima apertissime demonstrare uidetur, cum asserat, Omne recipiens denudatum à natura recepti esse oportere. Quo quidem axiomate mediãte, nostrum hunc Intellectum nec corpus, nec uirtutem in corpore esse ostenditur: & idcirco tantummodo posse separatas formas ac species rerum recipere, mediante tamen Phantasia ipsa ab exterioribus extrinsecisque phantasmatibus mota: quæ primum in sensu, quem communem appellant, deinde in ipsa cogitatiua potentia seu phantasia, & tandem in Intellectu possibili seu materiali percipiuntur separatæ: unde postea ab Intellectu agente, ut sic dicam, actuantur. Hac ratione similiter diuinus hic & sanctissimus Amor, tanquam Spirituale ac simplicissimum quiddam, ab Intellectu nostro, ueluti à forma rebus omnibus materialibus denudata, recipitur possideturque. Verum quia necessario dicendũ esse uidetur, quod Intellectus non possit proprio fungi intellectionis opere, nisi prius phantasia ab extrinseco aliquo obiecto moueatur: necessario quoque, antequam diuinus hic Amor à nobis possideatur, erit Intellectus à proprio quodam extrinseco obiecto sensibili motus: quo mediante gradatim abstrahendo, separandoque, cum di

uini luminis auxilio, ad eius cognitionem accedet & perueniet: quo cognito mirum in modū amabit, amandoque perfectissime ab eo posside bitur. Sua enim ipsius natura sanctissimus hic amor illis est communicabilis, qui animi quadā puritate ac simplicitate illum requirunt. Nunc igitur cuiusmodi sit tale obiectū declarabimus. Dico igitur, ut inceptum iam ordinem sequamur, quod diuina Dei Sapientia (de qua locuti sumus antea, quamque sanctissimi amoris uerā esse causam diximus) cum ab ipso Deo emanet, sit unum & idem cum diuino Intellectu ipsius Dei Optimi Maximi, primi opificis omnium rerum, quarum in eius, ueluti ueri artificis, intellectu, priusquam producerentur, necessario exēplarem & uniuersalem notitiā extitisse oportet: quæ nihil est aliud, ut diuinus noster Plato asserit, quàm prima & uera Mundi Idea, ab ipso Deo in primo uniuersali intellectu emanans, non tamen ab eo distincta aut seiuncta: hanc enim primam Ideam cum ipsa Sapientia, cumque Ideali uerbo, & ipso Intellectu unam & eandem rem atque essentiam, non distinctam aut separatam ab illo ponunt. Quæ quidem prima Idea cum rerum omnium uerum sit exemplar, necessario tota uniuersi pulcritudo ab ea, tanquam a primo

fonte atque origine, proueniet: Vnde necessario hæc Idea erit prima sola & uera pulcritudo, ex qua reliquæ ita in Mundo corporeo, quemadmodum in Intellectuali & angelico dependent: quæ per uniuersum gradatim, & per omnes eius partes, perque ipsarum partium similiter partes, ad ultima usque exspargentur Indiuidua: quæ sola minoris pulcritudinis participia erunt, tanquã omnium à prima Ideali pulcritudine remotissima: adeo quod corporalis rerum pulcritudo nihil erit aliud quàm imago, simulacrum, atque umbra quædam ueræ illius primæ pulcritudinis, primæ Ideæ, & primi Intellectus, qui diuino suæ pulcritudinis splendore corporeum Mundum pulcrum reddit, adeo quod nostrorum corporũ pulcritudo non, prout fert aliquorum sententia, ex materia aut ex corporeitate, liceat nunc hoc mihi uti uocabulo, consistet: sequeretur siquidẽ, si hoc uerum esset, quod corporalia & materialia omnia uno semper & eodẽ modo pulcra essent, cum in omnibus una sit materia & corporeitas: uerum potius ex participatione illius incorporeæ formæ, & superioris pulcritudinis proueniet: quæ cum alia non sit in nobis quàm rationalis nostra & intellectiua Anima, omnis nostri corporis pulcritudo ab ea, ueluti a superiore, necessario dependeat

dependeat oportet. Cum uero illa sit quoddam diuini Intellectus lumen, & quasi imago ipsius Mundi Animæ, cumquæ rationali quodã discursu corpoream pulcritudinem pro obiecto primo habeat, mediante uisus ac auditus sensu, distincte ad spiritualem Idealis pulcritudinis cognitionem perueniet: cuius corpoream hanc pulcritudinem imaginem quandam & simulacrum esse diximus. Verum quia spiritualis pulcritudo duas in partes diuiditur, quarum altera in diuino uniuersali Intellectu, altera in ipsa Mundi anima permanet: corporea similiter pulcritudo proportione quadam huic correspondeat oportet: eritque similiter duplex: & una quidem per oculorũ sensum acquiritur, quæ uelut intellectualis simulacrum est, nullaque in re alia consistit quàm in luce, nec nisi mentis lumine apprehenditur: altera uero per auditum acquiritur, quæ etiam uelut simulacrum est illius quæ Mũdi animæ infusa manet, nullaque alia in re consistit, quàm in quodã ordine, harmonia, & concordantia. Ex his igitur intelligimus quomodo per hãc corporis pulcritudinem, tanquam primum sensuum obiectum, deinde phantasiæ repræsentatum, & tandem ab ipso materiali seu passibili intellectu abstractum, atque mediante ipsius agentis intelle-

ctus rationali discursu, gradatim ad ueram primæ sanctissimæ Idealis pulcritudinis cognitioné accedamus: quam ubi cognouimus, statim ab ea accensi, uelut imperfecti antea ut illius participes efficiamur miro quodam flagramus desiderio: ex quo sane sanctissimus ille in nobis Amor generatur: qui cum sit summa refertus perfectione ac pulcritudine, animam nostram, tanquam partem a suo splendore manantem, ad sui amorem & desiderium mouet. Quemadmodum enim ad uisus exterioris sensum Solis lux & medij aeris illuminatio requiritur: ita quoque intellectus nunquam incorporeas ac spirituales formas cognosceret, nisi a diuino intellectu esset illuminatus: Vnde non solum talem intellectui illuminationem necessariam esse nonnulli affirmant: uerum ipsis etiam speciebus a phantasia receptis necessariam esse asserunt: nam ab illis intellectiua facultas intellectualem cognitionem accipit, illuminaturque ab æternis speciebus ac formis, quas in diuina mente existere diximus, & quas similiter diuinus Plato rerum Ideas appellauit. Atque hac primi Intellectus illuminatione mediante, iam superioris intellectualis pulcritudinis amore atque desiderio flagrantes, cũ nos ipsos imperfectissimos esse agnoscamus, per

fectiſſimi & beati effici in eius perpetua coniunctione deſideramus: in qua tandem noſter hic diuinus Amor ſuum tantopere amatum atque deſideratum & optimum finem acquirit: & reliqua cuiuſuis pulcritudinis alia deſideria relinquit, & obliuioni tradit. Naturaliter ſiquidem, inter multarum rerum deſideria, à duobus potiſſimũ humanus intellectus ſemper trahitur: quorum unum ſuperioris eſt pulcritudinis, quam tanquã à ſe productam amat: noſter namque Intellectus, quaſi diuinæ pulcritudinis plenus ac pregnans, in corpore illam parturire, aut, tanquam quidam artifex, corpori ſibi ſubiecto inſculpere deſiderat: quam deinde ita productam ac ſculptam, ueluti perficiens à ſe perfectam, amat: Vnde cum geminus in nobis iſte ſit amor, non ſolũ diuinæ pulcritudinis, uerum etiam corporeæ: is qui inter homines diuinæ pulcritudinis amore flagrabit, neceſſario mẽtem ſuam altero illo amore exuet, amabilemq; corporis propenſionem relinquet, dabitque ſe totum ad Spiritus contemplationẽ. Quod quidem apertiſſime, miro quodam exẽplo, tot diuinæ Chriſtianæ religionis martyres demonſtrarunt: qui diuino hoc accenſi amore, ardenti quodam deſiderio hãc proſequentes pulcritudinem, corporis amorem atque propenſio

nem omnimodo reliquerunt, nec quicquam cu rarunt, ut sua corpora immanium Magistratuũ, tyrannorum, Regum, gentium, ac Imperatorum, crudelissimis suppliciis & omnis generis tormentis exponerent: tanquam si illa omnia par ui facerent ac contemnerent. Imo, quod magis mirum uidetur, huiusmodi quoque teterrima supplicia ultro desiderabant, sperantes quod post corporis resolutionem, & animæ ab illo separationem, Mens ipsa, diuino accensa amore, posset se illi coniungere, ac desiderato & sanctissimo illo fine frui. Quin etiam in quibusdam hæc cõ templatio adeo fuit uehemens, & hoc desideriũ tam ingens, ut ui etiam uitales nexus & uincula fregerint, Mentemque ab ipso corpore separarint. Atque id sanè nemini mirum uideri debet: siquidem Anima nostra, cum una in se ac indiui sibilis sit, uirtute ac facultate quadam per uniuer sum corpus extenditur, perque omnes illius par tes ad ultimam usque superficiem dilatatur, ac mediantibus diuersis partium instrumentis per quasdam operationes, ad Sensum Motum & Nu tritionem pertinentes, ex quibus tres illæ generã tur facultates Animalis scilicet Vitalis & Natura lis, expanditur, diuiditurque in multas tum actio nes tum uirtutes: non aliter atque Sol ipse, qui &

si unus in se ac indiuisibilis est, diuiditur tamen ac multiplicatur secundum suorum radiorum multiplicationem, & locorum, quibus applicatur, numerum. Cum igitur nostra hæc humana Spiritualis mens seu intellectus, qui solus humani corporis animæ est anima, in intimum quoddam atque uehementer desideratum obiectum retrahitur, totam animam ad se colligit: Sicque in sua indiuisibili unitate collectus in se ipso restringitur: & cum ipso Spiritus omnes retrahuntur: qui se in medio capitis, ubi cogitatiua facultas posita est, aut in corde, ubi desiderium est, colligunt, & sensus ipsos propria destitutos operatione relinquunt: qua de causa fit ut adeo uehemens hoc desiderium, intimaque hæc cõtemplatio esse possit: ut omni ex parte animam ex corpore liberet, scindens ui quadam uitalis facultatis nexum: quo quidem, tanquam medio quodam, superiores partes inferioribus alligantur. Hoc est, ut apertius dicamus: Virtus ipsa animalis, quæ in capite tanquã in arce superiori posita est, uirtuti naturali, quæ in inferioribus partibus infra animalem transuersam sedem habet, alligatur, hac uidelicet uitali mediante uirtute, quæ à corde, tanquam à proprio domicilio, manat. Et hoc pacto talem quorundam antiquissimorũ

Beatorũ mortem euenisse ferunt: qui uehementi quodam desiderio, & intima quadam diuinæ san ctissimi Amoris pulcritudinis contemplatione accensi, propriũ destituerunt corpus, Mentemque ipsam à corporeis nexibus ac uinculis liberarunt: à quibus tandem illa soluta ac libera diuino & æterno Dei amore, diuinaque primi uniuersalis Intellectus Ideali pulcritudine frui potest.

QVOMODO HVMANVS INTELLECTVS, DIVINO CONIVNCTVS AC COPVLATVS AMORI, OMNIBVS VICIIS ATque peccatis exuatur: & quomodo nos, Deo Optimo Maximo coniuncti, *perfectißimi efficiamur.*



ETERES illi & antiqui Philoſophi, qui curioſe admodum rerum eſſentias indagarunt, hominem ipſum Archetypo illi & ſuperiori Mundo tam æquali proportione & ordine conformem inuenerunt, ut cum illum proprio nomine appellare uellent, μικρόκοσμον, id eſt paruum Mundũ, dicerent: perſpiciebant enim quod omnes illius partes, menſura, proportione, ac miro quodam ordine, reliquis omnibus ſuperioris Mundi partibus correſponderent adeo, ut in ipſo totius uniuerſi, tanta cum ſerie & artificio à ſummo rerum opifice intellectu producti, eſſentiam & ordinem contemplari & perſpicere liceret. Ac quemadmodum totum uniuerſum tribus præcipue partibus conſtare affirmabant, Corpore nempe, anima, & Intellectu; ita ſimiliter quoque hominem

ipſum corpore, Anima, & intellectu conſtare ui debant: & idcirco quemadmodum in toto uniuerſo ipſa Mundi anima eſt medium inter intellectum & corpus: ita & hominis Anima eſt mediũ inter intellectum & corpus ipſum: & ideo neceſſe eſt illam duobus conſtare aſpectibus: quorum primus eſt erga intellectum illa ſuperiorem: ſecũdus erga corpus quod illa inferius eſt. Primus ille eſt cauſa intellectiua, qua mediante intellectus uniuerſali ac ſpirituali cognitione diſcurrit, & ſemper intellectuales formas atque eſſentias rebus ſenſibilibus abſtrahit, pugnatque ſæpiſſime ut corpus ipſum ad ſuperioris intellectus uoluntatem trahat: atque hic quidem aſpectus nihil in ſe continet, niſi id quod bonum, honeſtum, decens: & rationi conſentaneum eſt, ac denique omnia ea quæ uere ſunt homine digna. Secundus uero animæ aſpectus eſt ille, qui poſitus eſt circa corpus, quod anima inferius eſt: atque hoc aſpectu mediante ſenſibilia omnia, & particularia, quæ coniuncta & mixta materiæ dicuntur, cognoſcimus: & hic aſpectus, cum primo illo è diametro pugnans, oppoſitus appellatur: nihil ſiquidem in ſe continet, niſi diſſoluta deſideria, effrenes appetitus, atque cupiditates, pugnatque aſſiduo, ſine ullo rationis lumine, ut intellectum ipſum

ipſum corporeis delectationibus inquinet & alli ciat, & complectitur in ſe omnia quæ ad ipſius corporis ſenſus pertinent. Hi igitur duo aſpectus cum inter ſe opponantur, & mere contrarij ſint, neceſſario alter alterum tanquam inimicum ac contrarium expellat oportet. Cum autem diuino ac Sanctiſſimo mediante amore, de quo fuſius antea locuti ſumus, Intellectus noſter ſummæ Dei ſapientiæ ac pulcritudini cõiungitur: neceſſario animã ipſam ſecundo illo corporis aſpectu ſpoliabit atque exuet, & eam tantummodo in ſuperiori primo ſui aſpectu cõtinebit, hoc eſt, ab appetitu, à uicio, à peccato, à cupiditate, à ſenſuum delectatione, deniq; à rebus omnibus, quæ mentẽ ipſam deturpare aut fædare poſſunt, liberabit, & ſecum ſolummodo uniet ac coniunget, & rationalem, diuinam, ſanctam, omnibus numeris abſolutã, atque à ſecundo aſpectu prorſus immunem reddet: cuius equidem aſpectus appetitus, uicia, peccata, cupiditates, delectationes, & mala denique omnia noſter hic Poeta ſub maximi truculentiſſimique mõſtri forma, ſpecie, atque figura, uariis, nec inter ſe recte conuenientibus membris atque partibus depinxit. Et hoc monſtrum regitur ac gubernatur ab ipſo amore, id eſt, à Sanctiſſimo illo Dei amore ac de

ſiderio, quod animàm noſtram ad primum Intel lectus aſpectum trahens, ſecundum, ueluti mõſtrum contrarium, ſibique inimicum, frenat hoc exiguo Adamantis freno: quo firmitas ſignificatur ac perſeuerantia, qua mediante homo quadá animi firmitate in bonis operationibus ſanctiſſimiſque actionibus perſeuerat, ſine ullo uel irrationalis appetitus, uel cupiditatis deſiderio: quod illum ad materiales ſenſibileſque corporis delectationes contorqueat, & turpitudini obnoxium reddat: quemadmodum fit iis, qui ſecundi animæ aſpectus dominio & ui deteriores facti, in beluas & bruta ipſa ex hominibus degenerant: cum in illis omne rationis lumen extinctum ſit, ſolũque appetituum, & corporeæ delectationis effrenum remaneat deſiderium: quod nulla in re alia conſiſtit, quam in Laſciuia, Libidine, Cõcupiſcẽtia, Cupiditate, Auaricia, aliiſque animi paſſionibus ac perturbationibus, quæ non ſolum omne uitæ tempus & omnem ætatem uilem indignamque reddunt; uerum etiam laborioſam, inſatiabilem, inquietam & turbulentiſſimam faciunt, & omni quiete animi priuant: huiuſcemodi ſiquidem appetitus ac delectationum imperfectio uerum propriumque finem, ueram propriãque animi tranquillitatem prorſus corrumpunt

& auferunt, tanquam res à uilissimi corporis corruptibili materia manantes. Qua de causa merito hi infelices appellari, & beluis similes esse dici possunt: Sicuti e contrario illi, qui in primo aspectu animam coniunctam cum Intellectu diuino hoc, ac sanctissimo amore accenso, eique tanquam perfectissimo fini coniuncto, habent, uere beati ac felices dici debent: hoc siquidem adamantino freno horrendum monstrum, id est, secundum animæ aspectum, corporisque desideria, & cupiditates refrenant: & animam ad diuinam sanctissimamque tantummodo Intellectus contemplationem, propriis sui corporis curis ac cogitationibus solutam ac liberam erigunt: illas autem, corporis scilicet, curas ad diuinum solũmodo amorem applicant: à quo anima ipsorum, mira equidem ui ac desiderio, ad dilectionem illius, Amoris scilicet, trahitur: unde ad felicissimam primi tandem Intellectus coniunctionem accedit: quo postea mediante homines Deo ipsi Optimo Maximo coniunguntur, atque uniuntur; fiuntque in ipsa omnium perfectione perfectissimi: & hoc quidem tribus tantummodo rebus, nempe Amore, Spe, atque Fide. Amore dico eo quod is, sicuti antea diximus, sit quoddam animæ uehiculum omnium præstantissimũ:

illam siquidem ad diuinæ pulcritudinis contemplationem & dilectionem, ex cupiditatibus & uiciis, tollit, & in omnibus optimis ac sanctissimis operationibus conseruat, uiresque subministrat ad ea omnia consequenda, quæ appetere aut desiderare potest: quod ipsum clarissimus noster Poeta in hoc Symbolo apertissime ostendit, cum inquit, quod diuino hoc accensi amore ea animo possimus, quæcunque ore uolumus: ut ostẽdat maximam uim, ingentemque Amoris huius potentiam, qui in nobis operatur & efficax est: quo etiam quia Sanctissima illa mulier Magdalena plena erat, omnium suorum peccatorum ueniam consecuta est. Vnde CHRISTVS dicit: quia dilexit multum, dimittuntur illi peccata multa. Secundum locum spes obtinet: Sola enim stabili ac firma spe suffulti, absq; ulla motione & uarietate firmi & stabiles manentes, perseueramus in diuino hoc Dei amore, & in sanctissima hac coniunctione, qua omnis nostra actio perficitur, omnisque nostra uoluntas adimpletur: Per eam siquidem omnia à Deo obtinemus, quæ à nobis sunt firmissime flagitata & petita: nã hæc sola medium quoddam est, quo interueniẽte diuinus hic amor in anima, ad nos ipsos perficiendos, prouenit; quemadmodum Timor quo

que ipsius odij est medium, quo intercedente res odio habentur. Sic itaq; cum Spes ipsa æque Amoris medium sit, talis semper illa erit, qualis in nobis amor esse dicetur: qui si diuinus erit (de quo & Poetam nostrum intelligendum, & nos locutos esse iam liquido constat) necessario etiã hæc Spes diuina, sancta, & omnium perfectissima dicenda est: & per consequens in nobis non nisi bonitatem ac perfectionem causabit. Est tandẽ quoque Fides tanquam uirtutum omnium suprema: illa siquidem non humano discursu aut ratione in nobis prouenit: uerum ex diuini luminis reuelatione nostro infunditur intellectui, & per uniuersum omnia lustrat. Cum siquidem à primo luminis fonte dependeat, & illi omnium proxima erit, & supra reliquas omnes scientias nobilitatis ac perfectionis gradum obtinebit. Vnde sola fide homo perficitur, Deoque fere similis redditur: idcirco sapientissimus Proclus dixit, quod, quemadmodum fides, quæ credulitas dicitur, infra ipsam est posita scientiam, ita etiam Fides, quæ uera est Fides, sit, ut ita dicam, supra substantialiter supra omnem Scientiã & Intellectum, nos Deo immediate coniungens: atque hæc nihil aliud est, quam firmissima religionis basis & fundamentum; sine qua nec Mundus gu-

bernari, nec humanum genus uiuere posset. Est que illa omnium miraculorum, quorum tot millia a sanctissimis Christianis edita leguntur, radix: cuius uis tam fuit potens in Virgine Romana, ut præter omnem naturæ cursum & experimentum, cum de incestu esset accusata, ut ab infamia purgaretur, cribrum ex flumine aqua plenum, omnium cum admiratione & stupore uexerit. Hæc igitur sola est, quæ totum uniuersum regit ac gubernat, cum qua sola, ut Platonici omnes testantur, ad Deum accedimus, diuinamq; consequimur protectionem ac uirtutem, adeo, quod mens nostra hoc diuino accēsa Amore, sanctissimaq; ac firmissima Spe ornata, cum diuinæ Fidei directione, in ipsius Dei tum bonitatis tum perfectionis coniunctione & copulatione, perfectissima efficitur: qui Deus solus est omnium pater optimus, sapientissimus, bonorum omnium largitor, rerum auctor, sacrum Iusticiæ lumen, absolutissima Naturæ perfectio, ingenitus, incorruptibilis, sibi ipsi simillimus, uerus prudentiæ ac sapientiæ fons, Principiū tandem & finis, ex quo, & in quo omnia principium & finem habent.

DE FIGVRA, AC EIVS VERA DECLARATIONE, TVM ALLEGORIAE INTERPRETATIONE.



VM ſecundam partem per ſeptem capita uniuerſalia, ſecundum præpoſitum huius noſtræ lectionis ordinem, iã abſoluerimus: reliquum eſt ut nunc ad tertiæ partis declarationem accedamus: quam totam circa figuræ expoſitionem atque intellectum conſiſtere diximus. Hanc autem, ut incceptum prius ordinem ſequamur, neceſſario ſimiliter diuidamus oportet, etſi non in capita diſtincta & ſeparata inter ſe, attamen in eas partes, quæ ad huiuſcemodi tractationem pertinere uidentur. Abſoluemus autem hanc in tribus potiſſimum membris, prout tres ſunt Intellectiones ſeu ſenſus, quos ueteres tum Philoſophi tum Poetæ in ſuis Poematibus atque narrationibus comprehendere ſolent: quorum primus Literalis, alter Moralis, tertius Allegoricus ſeu myſticus dicitur. In primo enim, tanquam in exteriori cortice, Hiſtoriam ſiue fabulam quorundã generoſiſſimorum hominum, eorundemque ge

ſta quæ memoria & recordatione digna uidebantur, aut econtrario ſcelera hominum quæ indigna bono uiro & fugienda ſapienti rebantur, proponebant. Secundo poſtea loco ſecundum admittebant ſenſum, tanquam magis intrinſecum & ueritati magis conſentaneum: in quo honeſtas ac bonas actiones laudabant, atque econtrario uicia atque ſcelera omnia uituperabant: quæ ſane res actiuæ hominum uitæ utiliſſima erat. Tertio tandem loco, præter ea quæ iam dicta ſunt omnia, aliquam ſignificationem ſeu ſenſum naturalium, aut diuinarum & theologicarum, aut cœleſtium & aſtrologicarum rerum, tanquam medullam intra intimas corticis partes incluſam, in eadem Hiſtoria ſeu fabula recludebant. Atque hos omnes ſenſus ſæpiſſime in una & eadem fabella, tanquam fructuum ſemina in proprias ſiliquas ac ueſtes, includebant. Et uere equidem, quemadmodum in aliis rebus omnibus, ita & in hac re ueteres illi ac priſci homines ſapientiſſimi extirerunt. Nam ſub fabellis quibuſdam & ficto quodam uelamine grauiſſimarum rerum arcana myſteria, multaque alia ad diuinam Intellectualem cognitionem pertinentia proponere & inuoluere conati ſunt: & hoc ideo, ne quis ea intellectu ſuo penetrare poſſet, niſi diuino quodam ingenio,

genio, diuinoque mentis acumine præditus, ad diuinarum sanctarumque rerum cognitionem atque intellectum esset idoneus. Existimabant enim id neque Naturæ, neque Diuinitati conuenire, grauissimumque scelus esse, si sanctissimarum rerum arcana mysteria promiscue omnibus tam dignis quam indignis reuelarentur: unde postea & fædarentur & contaminarentur. Ob has igitur & multas alias causas, quas nunc referre non est necesse, maiores nostri peculiari quodã artificio hæc omnia demõstrare conati sunt. Nos autem harum trium intentionũ ordinem sequentes, & ab una ad aliam procedentes, præsentis symboli & figuræ aggrediemur declarationem. Pro cuius equidem intellectu sciendũ est: quod ueteres & antiqui homines primã illam causam, totius uniuersi & rerum omnium productricem atque conseruatricem, Deum esse dixerunt: quẽ proprio nomine cõmuniter Iouem appellarunt. Quamuis autem hoc nomen ipsi tantũ Deo conueniat; tamen uaria est Historia, unde hoc nomen ortum duxit: Cum nonnulli fuerint, qui, ob suas uirtutes & animi dotes, hoc Iouis nomẽ sortiti sint: unde trecentos in Mundo Ioues fuisse multi affirmant, quemadmodum Cicero, Varro, & alij testantur: Verum qui hanc rem aperte

declarent, extant nulli: in hoc autem omnes cō cordes eſſe apparet, quod tres fuerint Ioues: quorum primum Aetheris & Diei filium fuiſſe affirmant: qui & ipſe multos habuit filios, inter quos Sol, Mercurius, Hercules, Bachus, Minerua, Diana, Proſerpina, & alij numerantur, quos hoc in loco recenſere non eſt opus. Secundum autem Cœli filium fuiſſe dicunt: ſed ex qua natus ſit matre nullus affirmat: habuit & hic quoque multos filios, inter quos Apollinem, Bachum, Amphionem, Dianam, Mineruam, Herculem, & alios recenſent: eumque ſimul cum primo ex Arcadia fuiſſe dicunt. Tertius fuit deinde Iupiter ex Opi & Saturno, Cretæ Rege, uno partu cum Iunone editus: qui ſimiliter, ut alij duo, multos habuit filios: inter quos Amor, Venus, Muſæ, Proſerpina, Mercurius, Hercules, Vulcanus, & multi fuerunt alij: qui ſi omnes computentur, ad numerum triginta nouem filiorum accedunt. Hos autem tres Ioues merito hoc ornatos fuiſſe nomine ueteres authores plurimi teſtantur: Nā primus Lyſanias appellatus fuit, homo Arcas; qui cum Athenas iuiſſet, primus Græcos leges & uiuendi ordinem docuit, & Matrimonia celebrare, Deos adorare, Aras, Templa, Sacerdotia, & multa alia, quæ erant ad humanam uitam ual-

de utilia & necessaria, instituit: quæ omnia cum rudes prius Athenienses uiderent, ipsumque Deum esse aliquem iudicarent, Iouem illum & Aetheris, id est ignis, filium appellarunt: ut eum tam generoso nobilitarēt patre: Ignem enim primam rerum causam statuebant: Sed & matrem illius Diem esse dixerunt: fortassis eo ut illius operum claritatem ostenderent. Secundi autem Iouis: quem Cœli filium diximus, licet proprium nomen ignoretur: nihilominus tamen & ipse maximarum rerum authhor & inuentor fuisse censetur. Illum autem nonnulli affirmant fuisse eum, qui primus ab Arcadibus (propterea quod Lycaonem, Arcadiæ Regem, uicerit, fugaueritq; eo quod in conuiuio humanas ei carnes comedendas apposuisset.) Iupiter appellatus fuit: postea uero cum Athenas migrasset, ibique multa Deis dignissima effecisset, Dei loco habitus, & similiter Iupiter appellatus fuit. Etsi autem Leontius, ubi de Lycaone tractat, hunc ipsum Lysaniam appellat: qua de causa multi eundem hūc primum fuisse Iouem credunt: tamen Theodōtius & alij secundum illum fuisse ferunt: hic enim cum ex bello contra Ceum gesto uictor rediisset, eo quod ipse Latonam uiolasset, primo illi Ioui Taurum sacrificauit: unde secundum illum fuis-

se Iouem liquido constat. Tertius deinde, quē Opis & Saturni filium diximus, eo quod Mundū fere totum subegerit, Leges condiderit, sacrificia instituerit, omnemque barbariem simul & ruditatem, quæ patris sui tempestate uiguerat, sustulerit, hoc quoque nomen sortitus est: & idcirco in toto fere orbe ipsius Dei loco coli uoluit: sibique Templa, Altaria, Sacrificia, & cætera sacra omnia, tanquam Deo, fieri iussit: in cuius Hystoria, cum prolixa sit admodum, non est quod ulterius immoremur: id nobis hic narrasse sufficiat, quod ad præsentem declarationem pertinere cognoscimus: utputa cum de Minerua atque Mercurio, quos Poeta in figura sua depinxit, dicturi simus, ueram quoque eorum originem inspiciamus: ut nihil inde, quod ad huius rei cognitionem pertinet, nos effugiat. Etsi autem multæ apud antiquos Mineruæ fuerunt: quatuor tamen ab eis præcipuæ numerantur: quarum prima fuit illa, quam primi Iouis Arcadici, quem ex Aethere & Die natum ferebant, filiam dicebamus. Altera uero fuit filia Pallenis, qui fuit Titani filius, quam ut intactam uirginitatem seruaret Patrem occidisse ferunt: & hanc inter alias Mineruas Cicero quintam numerat. Tertia uero illa fuit, quam secundi Iouis filiam diximus:

& hanc nõ illam quæ Tritonia appellata fuit, sed illam fuisse dicunt, quæ bellorum inuentrix extitit, quamque Bellonam Martis sororem appellãt. Fuit præter has etiam alia quædam, quam Nili fuisse filiam autumant: eamque soli Aegiptij coluere, fuitque illa, ueluti fertur, magnæ prudentiæ & artificij mulier: Nili uero filiam appellarunt ipsam ideo, quod imperium eius circa Nili fluminis ripam erat. Hoc igitur in præsentiarum breuiter de Minerua dictum sufficiat: nunc ad Mercurium ueniamus, cuius nomen, quemadmodum & reliquorum fere omnium, multiplex fuisse legitur, cum multi etiam similiter fuerint Mercurij: ex quibus sex tantum præcipue in honore apud gentiles sunt habiti: quorum primus fuit ille, quẽ ex primo Ioue & Cyllene, Arcadiæ nympha, ortum fuisse ferunt: & hunc Poetæ Deorũ interpretem ac Iouis finxerunt esse nuncium: atque ob id uaria illi attribuerũt ornamenta. Alter uero, qnemadmodum Theodontius ait, ex Libero & Proserpina fuit natus: & proprie est is, quẽ Apollini uaccas furatum esse, Battumque pastorem in saxum uertisse aiunt: qui tandem cum Apolline in gratiam rediens, cytharam illi donauit, ab eoque uirgam accepit dono. Alius deinde quoque fuit Mercurius, quem ex Cœlo & Die

quodam luxuriæ impetu & appetitu turpiter ortum ferunt: Sed huius fabulæ ueritas est, quod ipse ex uiro quodam, nomine Philone, & eius filia Proserpina fuit natus, quam Pater ipse in Balneo, turpi libidine nefandaque luxuria motus, pregnantem fecit: cumque ex illa filius illi nasceretur, eumque Pater, ut moreretur, exponere uellet, a Mathematico tunc temporis cognouit, Puerum hunc maximum cœlestium ac diuinarũ rerum interpretem futurum esse: qua equidem re motus pater filium ἑρμῆν, quod interpretem græce sonat, nominauit. Ille autem postea, cum in Aegyptum proficisceretur, ibique mira gereret, Cœli & Diei filius dictus fuit: cuius equidem Trismegistus Mercurius meminit in suo Asclepio. Fuit postea quoque ter maximus ille Mercurius, superioris, quemadmodum ipsemet affirmare uidetur, nepos: quem similiter Aegyptij coluere, eumque Nili appellarunt filium: fuitq; nomen eius in tanta apud ipsos ueneratione, ut eum proprio appellare nomine maximum putarent esse nefas. Alius porro fuit huius Mercurij filius, qui & ipse ob nimiam suam scientiam atq; eximiam prudentiã Dei loco habitus est: & à Patre Chat appellatus, ab Aegyptiis uero Mercurius dictus fuit: & merito propter admirandam

Sapientiam suam tanquam Deus cultus est. Po- stremus deinde Mercurius is fuit, quem à Ioue & Maia, Atlantis filia, ortum diximus: qui per se satis clarus extitit. Hoc autem loco est conside- randum, quod, licet multi fuerint Mercurij, sin gulisque sua sint tributa insignia, non tamen om nes eandem Deitatem, ut ita dicam, habuerunt. Nam unum Medicinæ Deum, alium Mercatorũ, Latronum alium, alium Eloquentiæ Deum fece runt: atque hoc pacto eorum & nomina & Dei- tates distinxerunt. Postularet hic locus, ut his explicatis etiam de amore iam uerba faceremus: de quo sane, cum abunde satis dictum à nobis sit in superiori parte, nihil est quod hic prolixius aga mus: repetemus igitur breuissime id tantũ, quod ad fabulas pertinere uidetur. Ponunt igitur sex Amores: quorum tres Cupidines, & reliqui sim- pliciter Amores dicti sunt. Ex his autem primus fuit ille Amor, quem ex Erebo, Demogorgonis filio, & Nocte, Terræ filia, natum dicunt: illum- que ex eodem patre & eadem matre uiginti simul fratres & sorores habuisse ferunt: Gratiam scili- cet, Laborem, Inuidiam, Timorem, Fraudẽ, Deceptionem, Obstinationem, Paupertatem, Miseriam, Famem, Querelam, Morbum, Sene ctutem, Pallorem, Tenebras, Somnum, Mor-

tem, Charontem & Aethera: quos omnes post ortum illius natos fuisse ferunt. Quæ autem istius figmenti mystica sit interpretatio, non est quod enarrare laborem: nostra siquidem id nunc non fert disputatio. Alter est deinde Amor, de quo Plato locutus est, ex Poro & Penia natus: & de hoc satis tertio capite à nobis iam ante est dictũ. Tertius uero fuit tertij Iouis filius, quem Poetæ Cœlestis Iouis & Magnæ Veneris filium fabulose dixerunt: & quod de hoc Poeta noster locutus sit, quodque hunc depinxerit, similiter iam ante satis à nobis est indicatum. Ex tribus uero reliquis, quos Cupidines appellarunt, primus Mercurij & Dianæ filius fuit: quem similiter alatum depingunt. Secundus ex Venere tantum, Tertius autem ex Venere & Marte est ortus: etsi nõ desunt aliqui, qui duos tantum Cupidines fuisse dicant: de qua equidem re, cum satis superque à nobis in superioribus sit pertractatũ capitibus, non est quod hic dicamus amplius. Verum enim uero paulo altius procedentes, ueritatem ipsam iam patefaciamus oportet. Licet autem multi Ioues, multæ Mineruæ, & multi Mercurij extiterint: uidemus tamen quod pro omnibus illis, nõ nisi unum Numen, unamque Deitatem antiquitas posuerit. Primam enim illam causam rerum

omnium

omnium productricem, quam Deum esse dicebant, Iouem appellabant: cum Iupiter nihil aliud significet, quam adiutorem patrem, qui à Græcis ζεὺς, uocabulo à ζάω, quod uiuio significat, deducto, dicitur. attribuebant autem ei pro sceptro fulmen, & quercum sacrabant, dicabantque Aquilam: & in manu ipsius uictoriam ponebant: fingebaturque illius simulacrum semper sedere: & superiores partes nudas, inferiores uero uelatas atque obtectas habebat. Solebant ipsum quoque multis aliis effingere modis, omniaque illi tribuebant quæ Deo Optimo Maximo tribuēda uidebantur: eundemque multis appellabant nominibus: Nam Regem Optimum Maximum, Victorem, Inuictum, Imperatorem, Custodem Capitolinum, Fulminatorem, Fulguratorem, Tonantem, Feretrium, Latialem, Statorem, multisque aliis uocabant nominibus. Illum quoque similiter fabulose Iunonem sororem suam, eodē cum ipso partu editam, in matrimonio habuisse ferunt: quam cum sterilem cerneret, quod adhuc nullos sibi peperisset filios, ne Liberorum inops remaneret, percussit sanctissimum suum caput: ex quo statim Mineruam, armatam Viraginem, prosiluisse dicunt: quam Græci ἀθήνην appellarunt: fuitque illa, ex eo quod sine matre es-

ſet, ἀμήτωρ dicta: cui omnia inſignia, & omnes attribuebant actiones, quas cæteris tribuebant omnibus. Hanc lanificas artes texendi & filandi, hác numerorum uſum, multaſque tum artes, tum ſcientias adinueniſſe perhibent. Illa etiam cum Promethei artificium mirata eſſet, ipſum in Cœlum duxit: ut inde ea acciperet, quæ ad uſum eius neceſſaria uiderentur: qui Solis ignito orbe conſpecto, ignem inde furatus eſt: & in terram primus intulit: eundemque in hominum illorum, quos ipſe ex luto antea formauerat, pectora, ut ex eo uitam haberent, collocauit. Minerua quoque Vulcanum, cui nupta fuerat, repudiaſſe, multaque alia feciſſe fertur: quæ referre hoc loco nihil eſt neceſſe. Eius ſimulacrum uultu uirili & truculento, oculis toruis & glaucis fingebatur: eratque inſignibus armis armatum, haſta prælonga, & criſtallino clypeo, galeamque gerebat in capite. Attribuebatur illi Gorgon & Aegis: & in ipſa quidem Aegide caput erat Gorgonis linguam exerens: ſepe etiam cum Noctua nunc illi ad pedes, nunc in capite ſedente, ſimiliterque cum Dracone effingebatur. Fuit Pallas appellata uel á Pallante Gigante occiſo: uel quod in Pallante palude orta fuerit. Multis ſimiliter aliis fuit nominibus appellata: quippe & Parthenos, Tri

tonia, Militaris, Martia, Equeſtris, Glaucopis, Hellopis, Cepariſia, Lindia, Pallenis, Hygæa, Stenias, Peonia, & multis aliis dicta fuit nominibus quæ non referemus. Sed iam ad Mercurium ueniamus: quem ſimiliter ex Ioue & Maia natũ, Deum faciebant: eique omnia communiter attribuebant, quæ ſparſim omnibus aliis conuenire iam diximus: illum ſiquidem Eloquentiæ, Mathematum, Medicinæ, Mercatorum, Latronũ, multarumque aliarum rerum Deum dicebant eſſe: pariterque Iouis nuncium & Deorum interpretem appellabant: atque hac ratione fuit à Græcis ἑρμῆς dictus: quod nihil, ſicuti diximus, ſonat aliud quàm interpretem: propriéque ad ſermonem & uerbum pertinet. Præterea illum ut iuuenem formoſum, natiua quadam uirtutis ſpecie, uultu hilari, acribus oculis, in baſi quadrata pingebant: addebantque pedibus illius alas & talaria, quæ Græci πέδιλα appellant: ſimiliterque cũ galero alato, caduceumque in manibus geſtantẽ depingebant: quæ omnia Virgilius his denotat uerſibus:

Dixerat: ille patris magni parere parabat
Imperio: & primum pedibus talaria nectit
Aurea: quæ ſublimem alis, ſiue æquora ſupra
Seu terrã, rapido pariter cum flamine portãt:

Tũ uirgã capit: hac animas ille euocat Orco,
Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit:
Dat sõnos adimitq;, & lumina morte resignat
Illa fretus agit uentos, & turbida tranat
Nubila.

Ex quibus apparet Mercurium animas e Tartaro euocare, aliasque demittere: quod in sequentibus explicandum relinquemus. Fuit & Mercurius multis similiter appellatus cognominibus: Nam & Cyllenius, Caducifer, Acacesius, Strophæus, Forensis, Propugnator, Internuncius, Possigius, Parammon, & multis aliis dictus est nominibus: quibus dimissis fabularum simul & historiarum literales sensus, quos huc usque breuissime demonstrauimus, relinquamus, & ad reliquos iam sensus ueniamus oportet: qui sæpissime & fere semper in huiuscemodi fabularum inuolucris solent esse reconditi. Ex his autem sensibus cum unus totus circa morales actiones cõsistat: alter uero circa Naturam aut res cœlestes, diuinas, spirituales, theologicas uersetur: non utique omnes aperiemus: hoc siquidem & grauissimum opus, & a nostra intentione alienum esset: recensebimus itaque eos tantummodo, quos necessarios ad nostram interpretationem cognoscemus. Iam igitur quantum ad mora-

lem ſenſum pertinet, breuiter equidem ac clariſſime uidere licet per Iouem nihil aliud nobis ſignificari, quàm modeſtum, bonum, optimumque uirum, & omni ornatum uirtute: propter quam Iouis nomen meretur ideo, quod Deo ferè eſt ſimilis. Operatur enim uir talis ſemper cũ ratione & rectitudine intellectus, & tum ſe, tum alios ſemper iuuat: ut eos ad perfectionem perducat, doceatque modum optime uiuendi, bonos mores plantet, leges ad humanam uitam neceſſarias condat, ordines inſtituat & ritus, procuretque ſacrificia, aras & templa in Deorum cultum: carnis concupiſcentias refrænet, uicium & peccatum, quod humana ſemper ueſcitur carne, cum non niſi in carne hæreat, expellat atque fuget: ut rationis lumen intactum illæſumque permaneat: ſecundum ueritatem & bonitatem operetur. Atque ij qui uitam ſuam ita inſtituunt, his de cauſis, merito Iouis nomine appellari poſſunt: quod etiam apertiſſime Aſtrologi oſtendunt: nã quos optimis moribus, multiſque præditos uirtutibus cernunt, eos Iouiales appellant: & ſub Iouis conſtellatione ortos affirmant: quam equidem hominem ſapientem, modeſtum, dignum honore, laudabilem, patientem, audacem, liberalem, clementem, perſpicacem, ueridicum,

dignitatis auidum, fidelem, eloquentem, bonorum amicum, malorumque hostem, iustum, religiosum, uictorem, regnatoremque semper facere dicunt. Atque his de causis, ne fusius rem pertractemus, si quis acutius omnia intueatur, moralesque perspiciat sensus: nullam fere reperiet actionem, in qua non sit lumen quoddam, ueluti uehiculum, quod nos ad optimas uirtutũ omnium actiones ducat: aut aliquid econtrario inueniet, quod à malo nos abstrahat atque arceat. Quæ omnia qualia sint unusquisque facile, modo sit aliquo præditus ingenio, per se intelligere poterit. Has igitur de Mercurio & Minerua sensus relinquemus: per longum siquidem, & a nostra intentione prorsus alienum foret, si omnia perstringere uellemus: sufficiat itaque nobis illos sensus digito quodammodo demonstrasse, quos, ueluti diximus, ingenio præditis latius persequendos relinquemus: omnesque alios siue naturales, siue cœlestes, siue astrologici, aut cuiuscunque alterius sint generis, inquirendos illis permittamus. Nos autem iam id solummodo quod diuinum est & Theologicum, quodque ad hanc nostrâm declarationem maxime iudicamus esse necessarium retinebimus. Vt igitur allegoriæ theologici sensus ueritatem assequamur:

simulque ueram tot antiquarum fabularum & historiarum interpretationem percipiamus: sciendum est: primam rerum omnium causam, quam antiqui Iouem appellabant, Deum Optimum Maximum, rerum omnium patrem conseruatoremque esse, & non fictitios illos homines, quos antea Ioues dictos esse ostendimus: atque hoc omnibus manifestissimam esse puto: & inter alios multos apertissime Orpheus, omnium antiquissimus Poeta, idem his uersibus demonstrat,

Intra namque Iouem cum toto constitit orbe
Aether quam latus: sublimi & uertice cœlum:
Immensique maris tractus: terræque iacentes:
Ingensq; Oceanus: depressaq; Tartara terræ:
Fluminaq; & Pontus: sine fine & cætera cũcta:
Immortales omnes, Diique Deæq; beati:
Quæq; fuere exorta: & quæ uentura sequẽtur:
Hæc in uentre Iouis rerum cõpago manebat.
Iupiter ipse fuit primus, supremus: & idem
Iupiter est caput:, & mediũ: Iouis oĩa munus.
Iupiter est fundamẽ humi, ac stellãtis Olympi.
Iupiter idem Rex cunctorum principiumq;,
Vna potestas, & Deus unus, magnus, & auctor.
Vnũ & regale est corpus, quo cuncta tenẽtur,
Ignis, aqua, & tellus, ac æther, noxque diesq;:
Omnia namq; Iouis sunt ædibus ista reposta.

Nihil igitur Iupiter nobis aliud significat, quam Deum ipsum Optimum Maximum: cui uere tot sanctissima mysteria conueniunt: uere enim ipse est Iupiter, id est omnes adiuuans pater: ipse est ζῶν omnium uita: ipse est Deorum hominumque pater: ipse solus est Optimus Maximus: ipse est Victor, semper inuictus, Imperator, Custos, Fulminator, Fulgurator, Tonans: ipse tandem omnia constituit: & ipsi omnia competunt, quæ bona sunt. Hinc ueteres fulmen tribuebant illi: ut, ex eo quod igneum fulmen esset, incomparabilem eius potentiam denotarent: & ostenderent quasi igneam quandam uim esse: quæ omnia uinceret ac superaret. Fulmen deinde illud tricuspide telo esse dicebant: ut naturam eius ostenderent: cũ tres illud habeat effectus splendet enim, aperit, ac urit: simul & hoc significatur, quod diuina Dei potestas in uniuersum splendet, & clarissima redditur, aperit omnia & penetrat, & omnia tãdem sua æternitate superat atque cõsumit. Quercum deinde Ioui antiquitas sacrabat: ut primæuæ ætatis homines illius fructibus nutritos fuisse denotarent. Quod nihil aliud nobis significat: nisi quod boni & perfecti homines, qui in uia ueritatis ambulant, tales enim uere primæ ætatis homines appellare possumus, eius glande, id est

diuina

diuina ipsius gratia & perfectione, nutriuntur: homines enim uere iusti & sancti bonique ab ipso Deo gubernantur. Aquilam quoque Ioui sacrã esse dicebant ueteres, ut denotarent, quod Deus omnia tam superiora quã inferiora gubernat ac regit: quemadmodum Aquila in reliquas imperat aues. Fingebatur quoque Iupiter habere in manu uictoriam: ut hoc modo significaretur, quod omnia illi subiecta & ab illo deuicta essent. Pingebatur porrò simulacrũ illius semper sedẽs: ut stabilis illius uirtus & incommutabilis ostenderetur: habebat illud superiores partes nudas & apertas: ut declararetur per hoc quod superioribus tum angelis & intelligẽtiis, tum beatis & sanctis omnibus diuina eius essentia nota, & diuina illis natura Dei apertior & clarior esset. Inferiores econtra partes uelatas & obtectas habebat: ut similiter per hoc ostenderetur, quod è diuerso diuina Dei essentia & Natura esset inferioribus ignota & incognita: & quod homines non recte possent diuinam eius essentiam intelligere. Sed quid est quod Lycaonem Iupiter uicit? Sanè si Theologis credimus, credere autem necesse est, uere Deus ipse Luciferum, antiquissimum diuinæ maiestatis hostem & inimicum, e cœlo deiecit: qui propria ductus & intumescens superbia,

totius uniuersi Monarchiam affectabat: & uere Deus ipse fuit omnipotens, qui eum in profundissimum Tartarum ablegauit. Vicit Mundum Iupiter, eiecit barbariem omnem, leges instituit, se coli uoluit, & Deum supra reliquos omnes Deos haberi se iussit. Vicit equidem Deus ipse Mundum, quem creauerat, contra inimicum Satanan: cuius superbiam contriuit: Populo leges, praecepta, & sacra dedit: uoluitque se & coli, & Deum supra omnes Deos haberi. Adeo ut, si recte rem omnem perpendamus, magna mysteria in his figmentis Poeticis latitare deprehensuri simus. Iouem sororem suam Iunonem uxorem habuisse dicunt; quam cum sterilem cerneret, ne sine filiis esset, percussisse caput suum, & ex illo statim Mineruam armatam, quemadmodum diximus, ortam fuisse ferunt. Quod nihil aliud nobis significare uidetur, nisi quod Deus Optimus Maximus primam illam rudem materiam, quam ueteres Chaos appellarunt, tanquam uxorem habuit: siquidem nihil ante Mundi creationem erat aliud: quae sane, ex eo quod illam ipsi Deo coaeternam fuisse aliqui uolunt, soror Dei est dicta: hanc autem cum propter imperfectionem sterilem cognosceret, nihil enim producere poterat, uoluit ipse ex suo capite, filios sibi producere: &

hoc pacto Mineruam produxit: quod nihil est aliud: nisi quod ex diuino Dei intellectu, diuina Sapientia: quam per Palladem intellexerunt ueteres: cui ea omnia, quæ superius retulimus, attributa erant: Ars scilicet texendi & filandi, Numerorum usus, & multæ aliæ res, & uariæ tum artes, tum scientiæ: ut denotaretur: quod sola Sapientia est, quæ omnes artes, scientias, & reliqua tandem omnia inuenit, instituit, ordinat, componit, atque conseruat. Dicunt præterea illam esse perpetuo uirginem: ut demonstrent, quod diuina Sapientia nullo obscœno aut lasciuo desiderio, seu mortalium rerum appetitu fœdatur aut maculatur. Palladi porro Noctuam sacrant: ut ostendant, quod uir sapiens & prudens ea quæ in obscuro posita sunt, & alios latent, ita perspicit & discernit, quemadmodum ipsa noctua in tenebris & noctu uidet ac cernit. Quin & armatam finguntillam eo, quod Sapiens semper armatus esse debet & rationibus & consiliis, quibus defendere se ac tueri à malis omnibus possit. Hastam autem prælongam ei tribuunt: ut Sapientem procul & longe ante præuidere cognoscere & uitare posse omnia denotent: ipsumque procul pugnare posse significent. Cristallinum gerit etiam clypeum: atque hoc significat quod uir sapiens, uno

eodemque tempore, tum inimici opera & insidias, tum propriam tutelam & defensionem, diuino suæ mentis lumine prospicere & præcauere possit. Habet porro toruos & obliquos Minerua oculos: quod demonstrat Sapientem nunquam posse decipi, propterea quod secreta sui cordis non intempestiue recludat & aperiat: imò fingat aliquando contrarium, quemadmodum faciunt ij, qui obliquis cernunt oculis: qui quorsum dirigant uisum suum, nunquam potest sciri aut cognosci. Erat quoque in Mineruæ ægide Gorgonis, hoc est Medusæ, caput positum: quod Virgilius his demonstrat uersibus.

Eegidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum, auroq; polibāt:
Connexosq; angues: ipsamq; in pectore Diuæ
Gorgona desecto uertentem lumina collo.

Hoc autem denotabat: quod Sapientia homines ignaros & imperitos plane stupidos & tanquam saxeos reddit: tum propter ignorantiam, tum propter admirationem. Minerua quoque, sicuti diximus, Promethea in cœlum duxit: qui postea ex ignitio Solis orbe ignem accepit: eumque asportauit in hunc Mundum inferiorem: quo deinde homines ex luto à se antea formatos uiuificauit: quod uere nihil est aliud, nisi quod sola Sapi

entia humanum nostrum intellectum in Cœlum rapit ad diuinarum Dei rerum cõtemplationem: Vnde postea ex sphæra Solis, id est ex diuino æterno lumine, ueram Dei cognitionem accipit: quã in hunc inferiorem mundum secum ducit: cum eoque uiuificat homines ex luto formatos, hoc est, Dei cognitione desiderio atque amore nos incendit: quibus mediantibus in Deo uiuimus: Nam si corpus nostrum inspiciamus, lutum equidem est, & ex luto formatum: Sed quid plura dicam? sufficiat iam nobis scire, quod Minerua nihil significet aliud, præterquam ipsam Dei sapientiam ex diuina eius ortam intellectu: de qua cum in quinto capite fusius dixerimus, consequens est ut, illa iam relicta, ad Mercurium accedamus: quem similiter Iouis & Maiæ filium dicunt: de quo si paulo altius, relictis allegoricis antiquorũ sensibus, cum nostris Theologis cogitauerimus: Mercurium Iouis & Maiæ filium, id est, summi Dei & diuinæ prouidentiæ gnatũ dicemus. Mercurius enim, quem Græci ἑρμῆν appellant, nihil sonat aliud, sicuti iam modo diximus, quam interpretatio & uerbum: eritque nullus alius præter CHRISTVM IESVM: cum ipse uidelicet uerum sanctissimi sui patris uerbum & interpretatio sit: ipse enim uerus est nuncius, qui

diuinas Dei res mortalibus annunciat: quique nihil aliud, quam Patris æterni uoluntatem, & illius sacrosancta mandata nobis patefacit. Pingunt Mercurium ueluti iuuenem formosum natiua quadam uirtutis specie, uultuque hilari: quæ omnia quam bene ipsi CHRISTO conueniant, per se est clarissimum. Iuuenem autem dicunt ideo, ut Verbum Dei nunquam senescere denotent. Supra quadratam illum basim locant: ad eius perpetuam firmitatem demonstrandam. Alas pedibus & galero ipsius addunt: ut uelocitatem ostendāt: quod aperte nobis CHRISTI promtitudinem & uelocitatem significat: qua mirifice assiduo de coelis descendit, ut nobis sanctissimo corpore & sanguine suo coniungatur. Illū insuper Eloquentiæ Deum appellant: atqui solus CHRISTVS eloquentiæ Deus est: omnis siquidem Eloquentia præter Euangelicam ficta simulata & uana est. Dicunt etiam Mercurium scientiarum Deum: cum uero scientia non sit nisi ueritatis, per suas causas, principia, & Elementa, cognitio: uere equidem CHRISTVS scientiarum Deus & Magister est: cum ipse nihil nisi ueritatem doceat: & ipse sit ueritas. Deum deinde Medicinæ appellant: quis uero alius quæso antiquum humani generis morbum sanauit? quis

alius languores nostros & dolores tulit? Quis alius animas nostras a morbis conseruat & liberat? nullus equidē nisi unus CHRISTVS. Mercatorum quoque & Latronum Deum appellant Mercurium: omnium equidem tam malorum quam bonorum CHRISTVS Deus est: cũ omnes ad se uocet. Caduceum deinde Mercurio tribuunt: quo illum animas euocare Orco, aliasque demittere in Orcum ferunt. Sāctissime CHRISTE quis alius, quam tu ipse, habet hanc uim euocādi animas nostras ab inferno, easque similiter arcendi a peccatis? Quis alius, quā tu ipse, Patres nostros ex limbo traxit? Quis alius, quam tu ipse, nos ad sanctissimum regnum tuum deducit? Quis alius, quam tu ipse, ad perpetuum ignem animas malorum iustissimo condemnat iudicio? Quis alius, quam tu ipse, actiones nostras iudicat? Sed quid dicam amplius? Ad Poetam nostrum reuertamur: Iam enim apertissime uidere licet, quanto ingenio ille in hac figura sanctissima hæc mysteria absconderit: cum hos duos sanctissimos Dei filios, summam scilicet illius sapientiam & diuinum uerbum, simul connexos & amplectentes sese depinxit: ut hoc modo simplicissimam illorum Naturam, simplicissimāque unitatem significaret. Quæ quidem unitas

pariter cum sanctissimo Ioue, suo patre, sanctissimum generat Amorem: de quo locuti sumus antea: hoc est, sanctum spiritum producit: qui nostras illuminat mentes, accenditque animos ad amorem & dilectionem sanctissimæ huius sapientiæ & diuini uerbi: docetque nos cum adamantino freno superbissimum domare monstrum: hoc est, effrenam cupiditatem, effrenumque appetitus desiderium coercet cum firmitudine & perseuerantia: quæ sola animas nostras ad postremæ beatitudinis ac felicitatis ultimum, uerum, ac amatum finem perducit.

PARTICVLARIS SYMBOLI DECLARATIO.



VNC ad particularem uerborum declarationem, ut institutum ordinem sequamur, accedemus: & cũ multa uniuersaliter à nobis hactenus dicta sint, idque ratio expostulet, uidetur non abs re neque extra propositum, si totam hanc partem, ne prolixiores quam par est uideamur, quam breuissime unó tantum perstrinxerimus capite: quo breuiter eius declarationem percurramus: quæ licet latius & maiori uerborum apparatu à nobis pertractari possit: tamen nos superfluam fugiemus copiam: siquidem ũt diutius his inhæreamus, neque locus postulat, neque tempus concedit, neque necessitas urget, nec uestræ doctissimæ aures in tàm paruis rebus diutius uersari nos patiũtur, nec meum id officium postulare uidetur. Ea igitur solummodo aperiemus: quæ necessaria ad hanc partem esse cognoscemus. Aphorismum quoque illum, de quo iàm antea in prima nostræ intentionis parte satis superque dictum fuit, prætermittemus: & ne longius euagemur, ad rem ip

ſam iam accedamus: quam ordine, ut par eſt, explicabimus.

Quis tibi ſancte puer, uires animumq́; miniſtrat
Maximum ut exiguo monſtrum adamante regas.

Cum Poeta, ſicuti ſuperius dictum eſt, miram ſanctiſſimi huius amoris in nobis aduerſus effrenum appetitus & cupiditatis deſiderium potentiam & uim conſideraret: hanc illius admiratus potentiam, diuinum hunc puerum affatur: hiſq; duobus uerſibus huiuſce rei cauſam ex illo quærit. Et quoniam ex effectibus cognoſcit, hanc illi potentiam non ex re aliqua corruptibili atque mortali ineſſe: itaque illum ſanctum appellat: quãdoquidem diuinus hic in nobis amor nõ niſi ſanctiſſima deſideria cauſatur. Puerum autem illũ ex eo uocat: quod ſemper Puerum illum Poetæ finxerint: cuius ætas inter infantiam & adoleſcentiam media eſt: illam enim pueritiam appellant, & quia ad effectum regendi hoc monſtrum duo neceſſaria erant: Animus nempe & uires: idcirco Poeta optime ſubiunxit (Vires animumque miniſtrat) ſiquidem nec uires ſine animo, neque animus ſine uiribus quicquam prodeſt. Vis enim non niſi corporis, membrorumque robur, & fortitudo eſt: Animus autem hoc loco affectum illum cordis ſignificat, quem audaciam dicunt: ex

quibus duabus rebus alteram ad Mineruam, ad Mercurium alteram referre possumus: cum hæc duo numina sola sint, quæ nobis animum uiresque ministrare possunt: ut monstrum illud, id est cupiditatem, regamus. Nam quotiescunque præter naturæ communem cursum aliquid deficit aut excedit: id monstrum est: ueluti Polyphemus apud Virgilium.

Mõstrũ horrendũ, informe, ingẽs, cui lumẽ ad(emptum.

Lumen autem naturæ, ratio est. Et cum cupiditas in homine ultra rationis lumen deficit aut excedit, monstrum est. (Maximum ut exiguo) ista duo epitheta superioribus duobus nominibus apponuntur: nam ad monstrum alterum, ad Adamantem alterum refertur. Adamas lapis preciosus est, per se notus, omnium fortissimus & firmissimus, quem Poeta hoc loco pro constantia & perseuerantia accipit: qua progressio ad uirtutem perficitur: quam non abs re Stoici summum esse bonum dixerunt: quod ex eo, quia in medio uiciorum consistit, quasi in puncto est positum. Vnde recte additum est exiguo, quod maximo, id est uicio, opponitur.

Nonnè uides summi eductam de uertice patris,
Auspice facundo Pallada Atlantiade?

Postquam Poeta duobus superioribus uersibus

causam interrogauit, unde tam paruo puero tantæ uires, ad tam horribile monstrum regendum, subministrarentur: duobus nunc his uersibus ipsum Amorem respondentem introducit: qui ueras eius rei causas docet: & interrogatione similiter Poetam affatur: quasi dicat: Nonne tu summi Iouis filiam, ex illius capite natam, & Mercuriũ fratrem cernis, unde mihi uires & animus suppetunt? hoc est, non tu Dei Optimi Maximi sapientiam & Eloquentiam cernis, quæ duæ res mihi solæ hoc, quod ipse quæris, præstant? & quia ab intellectu omnis sapientia prouenit, ideo illam ex uertice summi patris, id est Iouis, ortam esse dicit: facundo scilicet auspice Atlantiade, hoc est, Mercurio: qui, quemadmodum diximus, ab Atlante originem ducebat: nam Maia, illius mater, Atlantis filia fuit. De qua equidem re, cum iam ante satis superque sit dictum, nõ est cur amplius quicquam dicamus.

Hanc cole totius mentis penetralibus ardens,
Sic animo poteris quicquid & ore uoles.

Posteaquam Palladem & Mercurium, id est diuinam sapientiam diuinumque uerbum, docuit Amor causas esse, a quibus sibi animus & uires suppeterent duobus nunc istis sequentibus uersibus docet nos, quo nam pacto similiter monstra

domare, animumque & uires nobis ad hanc rem comparare possimus: exhortaturque simul nos, ut diuinam capessamus Sapientiam: Initium siquidem Sapientiæ Timor Domini est: ex quo postea sanctissimus ille in nobis emanat amor: quo mediante primum illud legis præceptum adimpletur: Dilige Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & toto corde tuo. Et ideo Poeta optime ad hanc partem adiunxit. Totius mentis penetralibus ardens: per mentis uero penetralia interiores excellentioresque intellectus partes intelligit: quæ ad solam rationem ueritatemque discernendam, & ad diuinas spiritualesque res cognoscendas pertinent. Atque si hoc faciamus, quid deinde possimus docet: dicitque fore, ut omnia possimus animo, quæcunque ore uolumus. Posse autem aliquid animo, nihil aliud est, nisi uires & animum habere, quibus monstra similiter domare possimus: & ideo referenda est hæc pars, ad primam illam: Vires & animũ: hanc siquidem partem respicit. Sed ut breuius sententiam perstringamus: posse animo, hoc de ratione intelligendum est: Ore autem uelle id de oratione accipi debet: Quod scilicet ea omnia quæ oratione uolumus, animo similiter possimus.

Incipe age, en uirga te iam Deus euocat orco,

Me duce perficies; tu modò progredere.

Cum tria sint tantummodo, quibus nostræ humanæ actiones omnes absoluuntur: Principium scilicet medium, ac Finis: prorumpit iam sanctissimus iste puer in exhortationem Sapientiæ & diuini amoris, demonstrans nobis hæc tria, quibus ad ueram accedimus felicitatem: ideoque principium esse dicit Mercurij euocationem qua nos ex Orco euocat. Vt ita perfectissimum opus, & perfectissimum sit principium: siquidem Dimidium cepti, qui bene cepit, habet. Medium autem ipsam esse progressionem ostendit: quæ à nostra libera uoluntate prouenit. Finem deinde illum esse dicit: Quando iam ipso ad hanc nostrã progressionem duce Amore, ad id quod in opere est ultimum peruentum fuerit: quod tunc tota nostra absoluta perfectio erit, & ideo primò exhortatur nos ad principium, cum inquit: Incipe age: & ad maiorem uim subiungit nos nunc maxime incipere debere, cum iam Deus uirga euocet Orco, hoc est, cum CHRISTVS IESVS redemptor noster euocet nos à peccato ad suæ gratiæ misericordiam. Sed huius rei fabula, quemadmodum superius parumper deteximus, inde orta est, quod plerique Antiquorum animas nostras simul à principio creatas fuisse, &

in nos missas esse credebant: ut simul corporibus iunctæ, post corporis mortem, mortem & ipsæ subirent: & in tartara mitterentur: quo in loco tam diu tormentis affligerentur, quousque à gestis in uita rebus purgatæ, ad Elysios campos mitterentur: & hoc in loco mille annos uagarentur: & tãdem à Mercurio ad Lethei fluminis undam ductæ (quam postquam bibissent rerum præteritarum omnium obliuiscerentur) denuo in Mundum ad ipsa corpora redire desiderarent: quas deinde Mercurium euocare dicebant: quam equidem opinionem Virgilius his denotat uersibus.

Ergo exercentur pœnis: ueterumq; malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad uentos: aliis sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisq; suos patimur manes: exinde per amplũ
Mittimur Elysium: & pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem: purumque reliquit
Aethereum sensum, atque auri simplicis ignẽ.
Has omnes, ubi mille rotã uoluere per annos,
Letheũ ad fluuiũ Deus euocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut cõuexa reuisant:
Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.

Sed hanc opinionem relinquemus: nam cum in

ſe myſticum & uelatum ſenſum contineat, de quo ſuperius dictum fuit, non eſt cur hic iterum diſputemus. Reuertamur igitur ad interpretationem noſtram. Amor, ſicuti iam diximus, pergit in exhortatione ad principium capeſſendum: quando iam Mercurius, nos euocat uirga, id eſt Caduceo, quem Græci κηρυκεῖον appellant ab Orco, hoc eſt, à Plutonis poteſtate: Nam Orcum, etſi pro inferno accipitur, Plutonem tamen eſſe dicunt: cum eum Tartari Regem appellent: & in cuſtodia Cerberum canem habere dicant. Sed hæc res in ueritate ita ſe habet. Orcus Moloſſorum Rex fuit: is Proſerpinam, Iouis filiam, uxorem duxit: ad quam rapiendam cum Theſeus Pirithouſque ſimul irent, Cerberum, Regis canem quem in cuſtodia habebat, Pirithoum occidiſſe, Theſeaque captum fuiſſe ferũt: quem poſtea ab Hercule liberatum aſſerunt, & hinc eſt quod hos tres in Tartara deſcēdiſſe aiũt. Me duce perficies) hoc iuxta illud dicitur: Amor omnia uincit: Nam ſi amoris ſtudium & ardor in rebus perficiendis deſit, fruſtraneus profecto finis erit. At ſi econtra ſtudium & diligentiam cũ ſanctiſſimo hoc amore adhibeamus: adſitque noſtra progreſſio, id eſt firma perſeuerantia, neceſſario perfectiſſimus tunc noſter aderit finis, hoc
eſt,

est, summa Dei amoris erga nos, & nostri erga Deum, perfectissima coniunctio.

Iã pater en STEPHANVS *te* SAVLIVS *ille bonorũ*
Præsidium, atq; decus, macte animo esse iubet.

Stephanum Saulium nobilem Ianuensen duobus his ultimis uersiculis Poeta laudat: cui, ob eius singularem humanitatem, doctrinam, atq; Sapientiam, hoc Symbolum officiosus Poeta dicauit. Nam ingentes suæ uirtutes, eximiæque animi dotes, adeo illum in bonos propensum reddunt: ut inter primos connumeratus semper fuerit, qui mirifice Bochianæ fauerent Academiæ. In reliquis autem quæ ad interpretationem attinent, cum per se satis clara sint carmina, non est quod amplius laboremus.

FINIS LAVS DEO.

QVAE IN TOTO OPERE NOTATV DIGNA HABENTVR INDEX.

Rerum cognitionem non nisi labore acquiri car. 11
Vnde Scientiæ & Artes originem habuerint 12
Paulus pontifex III Bocchianæ Academiæ auctor 14
Laboris laudes & quod omnia labore constent 17
Ocij uituperia & quid Ocium pariat 18
Cognitionẽ in ordine positã esse 25
Omnibus in rebus esse ultimũ finẽ 26
Antiquorum omnium de humana felicitate opiniones 28
Ars quid 30
Prudentia quid 31
Intellectus quid 31
Scientia quid 31
Sapientia quid 31
Theologorum opinio de felicitate 32
Formalis felicitas quid 32
Obiectiua felicitas quid 32
Quomodo Fide Spe ac Caritate ad Deum accedamus 34. 123
Modestia quid 34
Triplex Mundus 39
Mundus intellectualis quid 40
Plato quid Deum appellet 41
Diuinũ intellectũ a Deo emanare 41
Animam Mundi a primo intellectu emanare 42
Natura quid 42
Platonis opinio de intellectuum emanatione 42
Auicenæ & Arabũ quorũdã de intelligentiarũ emanatione opinio 43
Auicenæ Colcodrea quid 45
Aristotelis & Auerrois de intelligentiis opinio 47
Intelligentie ad quid proprios orbes moueant 48
Varie philosophorum de anima opiniones 49
Platonis opinio de Animæ creatione & corporis coniunctione 50
Animæ immortalitas 53
Sensus comunis quid 54
Imaginatiua quid 54
Fantasia quid 54
Memoria quid 54
Intellectus possibilis quid 54
Intellectus secundum habitum 55
Intellectus ueluti habitus 55
Intellectus practicus 55
Intellectus speculatiuus 55
Intellectum secundum actum 56
Intellectus Agens 56
Summum bonum in Deo quid 67
Diffinitio Diuini Amoris 58
In Deo omnia unum esse 58
Primi intellectus & Chaos productio 59
Quatuor Amoris gradus ab ipso Deo 62
Materia prima quomodo per gradus quosdam miro desiderio & Amore erigatur 65
Dei amorem ueluti circulum esse 66
Varias Amoris diffinitiones 69
Naturalis Amor quid 71

Sensitiuus Amor quid 71
Voluntarius amor quid 72
Magis perfectum minus perfectum continere 73
Quod naturales propensiones sint amoris nomine appellandæ 73
Delectabilis Amor quid 74
Vtilis Amor quid 75
Honestus amor quid 75
Tria Platonis Amoris genera 76
Amor diuinus quid 76
Cupidines quot & qui sint 80. 135
Amores quot & qui sint 81. 136
Herebi & Noctis fabulæ sensus 82
Pori et Peniæ fabula et eius sensus 83
Diuinitas quomodo principium medium & finis sit 85
Quomodo desideriũ sit in diuino Amore 86
Diuinus Amor duplex 86
Quomodo in Deo sit gaudium 88
Quomodo a diuino Amore inflamemur accendamurque 89
Noster erga Deum Amor 90
Quæ sit ꝓpria intellectus operatio 90
Quomodo tribus gradibus ad Deum reducamur 90
Quomodo in nobis precepta legis adimpleantur 91
Quomodo amor noster respectu nostri sit finitus, respectu Dei infinitus 93
Diuini amoris causæ 95
Prima Idea Platonis quid 96. 111
Quomodo diuina sapientia a Deo emanet & cum Deo sit una 97
Varie de diuina sapiẽtia opiniones 98
De Trinitate uarie antiquorũ sententiæ 100
Trinitatem esse, Philosophicis rationibus probatur 104
Quo pacto intellectus separatas formas recipiat 110
Quid sit primũ obiectũ intellectus ad diuinũ amorẽ assequendũ 111
Quomodo pulcritudo a Deo emanet et rebus omnibus insit 111
Corporis pulcritudo unde 112
Duplex pulcritudo 113
Quomodo illuminetur intellectus 114
Quomodo Anima per totũ corpus diffundatur 116
Quomodo uehemens contẽplatio possit animã separare a corpore 118
Quibus gradibus homo sit cum uniuerso Mũdo cõformis 92. 120
Duo Animæ aspectus & quid in utroque causetur 120
Triplex sensus in Historiis seu fabulis considerandus 127
Cur Antiqui sub mystico sensu fabularum, ueritatẽ includebant 129
De Ioue & quot fuerint & huius rei ueritas 129
De Minerua & quot fuerint & huius rei ueritas 132
De Mercurio & quot fuerint & huius rei ueritas 133
Viginti simul amoris fratres ac sorores 135
Varia Iouis insignia & nomina 137
Minerua quomodo a Ioue orta fu-

erit & uaria eiús tum insignia tum nomina 137
Mercurij uaria insignia et nomina 139
Quid per Iouem & eius fabulas moraliter intelligendum sit 141
Quid Mystice Iupiter & eius insignia nobis denotent 144
Quid similiter Minerua & eius insignia nobis significent 146
Quid Mercurius Mystice & eius insignia nobis denotent 146
Monstrum quid 145
Quibus humana perfectio absoluatur 159
Quorundam antiquorum de anima opinio 159
Quid Orcus & eius ueritas sit 160

ERRATA.

Fol.12 lin. 23 profecto 13.3.deffossos 15.10.destitistis 15.11.ut hac. 15.22. confessu.16.13.beneuolẽtia.17.22.nostro.25.17.docuere.26.15.extitit. 34 i per.34.8. ὅλως.49.14 ueritus 46. 19 sensuum.73.21 sit 78.3 hac 79.8 forma 83.i astu 88.5 peruenerunt 95.23 tamque 96.9 diuinæ 105.23 effectu 112. 25 intellectiua.



Bononiæ, apud Antonium Manutium Aldi filium,
XIIII Decembris M.D.L.VI.